


VOCABVLORVM LATINORVM QVAE AD MORTEM SPECTANT HISTORIA

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

BARTHEL WINAND
RHENANVS



MARPVRGI CATTORVM
TYPIS ACADEMICIS IOH. AVG. KOCH
MCMVI

Dissertatio inauguralis referente Theodoro Birt P. P. O. ab amplissimo philosophorum ordine probata die VIII. mensis Decembris anni MCMV.

PARENTIBUS OPTIMIS
HENRICO PATRI MATRI ELISAE WINAND
S.

Unum fere annum ante, cum carmina epigraphica a Buechelero edita perscrutarer, Birtius praeceptor meus ad instituendam quaestionem me invitavit et de copia et de proprietatibus omnium vocum quae ad mortem spectant. Nam saeculorum decursu et mores mutantur et sermo; imprimis autem ubi de morte res est, notiones verborum non semper sibi constant et alia vocabula in usum recipiuntur, alia rarescunt. Quod propositum mihi alienum non esse videbatur, quamquam illud alterum de proprietatibus quam difficile sit me omnino non fugit, idque eo magis, quod usque adhuc non multi viri hac de re disputaverunt. Nam disputationes, quae in hoc opusculo conscribendo auxilio mihi venerunt, solas has duas habeo:

Hoffmann: Die auf den Tod bezüglichen Ausdrücke in den römischen Dichtern. Berolini 1875.

Otto Keller: Zur lat. Sprachgeschichte, tom. II sub voce „Euphemismus" p. 155 sq. Lips. 1895.

Cum autem, quae hi viri doctissimi protulerunt, parum perfecta expletaque mihi esse videantur — Hoffmanni enim libello tantum aliquot substantiva idem ac mortem significantia congesta invenies verbis omnino neglectis — inanem laborem me suscipere non arbitror denuo de hac re verba faciens. Neque ab Ottone Keller, quamvis ille vir doctissimus multis in rebus mihi viam in inquisitione instituenda demonstraverit, res ad finem ducta est, praesertim cum non omnia vocabula quae huc pertinent, respexerit. Imprimis vero commentationes modo commemoratas siquis perlegerit statim intelleget illos viros parum vocabulorum respexisse historiam; velut omnino non mentio fit, quo tempore singula orta sint, utrum ab initio


VOCABVLORVM LATINORVM QVAE AD MORTEM SPECTANT HISTORIA

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

BARTHEL WINAND
RHENANVS



MARPVRGI CATTORVM
TYPIS ACADEMICIS IOH. AVG. KOCH
MCMVI

Dissertatio inauguralis referente Theodoro Birt P. P. O. ab amplissimo philosophorum ordine probata die VIII. mensis Decembris anni MCMV.

PARENTIBUS OPTIMIS
HENRICO PATRI MATRI ELISAE WINAND
S.

Unum fere annum ante, cum carmina epigraphica a Buechelero edita perscrutarer, Birtius praeceptor meus ad instituendam quaestionem me invitavit et de copia et de proprietatibus omnium vocum quae ad mortem spectant. Nam saeculorum decursu et mores mutantur et sermo; imprimis autem ubi de morte res est, notiones verborum non semper sibi constant et alia vocabula in usum recipiuntur, alia rarescunt. Quod propositum mihi alienum non esse videbatur, quamquam illud alterum de proprietatibus quam difficile sit me omnino non fugit, idque eo magis, quod usque adhuc non multi viri hac de re disputaverunt. Nam disputationes, quae in hoc opusculo conscribendo auxilio mihi venerunt, solas has duas habeo:

Hoffmann: Die auf den Tod bezüglichen Ausdrücke in den römischen Dichtern. Berolini 1875.

Otto Keller: Zur lat. Sprachgeschichte, tom. II sub voce „Euphemismus“ p. 155 sq. Lips. 1895.

Cum autem, quae hi viri doctissimi protulerunt, parum perfecta expletaque mihi esse videantur — Hoffmanni enim libello tantum aliquot substantiva idem ac mortem significantia congesta invenies verbis omnino neglectis — inanem laborem me suscipere non arbitror denuo de hac re verba faciens. Neque ab Ottone Keller, quamvis ille vir doctissimus multis in rebus mihi viam in inquisitione instituenda demonstraverit, res ad finem ducta est, praesertim cum non omnia vocabula quae huc pertinent, respexerit. Imprimis vero commentationes modo commemoratas siquis perlegerit statim intelleget illos viros parum vocabulorum respexisse historiam; velut omnino non mentio fit, quo tempore singula orta sint, utrum ab initio

idem ac *mori* significaverint an postea demum in hanc notionem abierint, quales causae fuerint, quibus haec atque illa vox in notionem moriendi abierit, denique quae voces rarius, quae saepius inveniantur et cetera. At haec sunt, de quibus disputare ego mihi maxime proposui; nec vero, ubi occasio data est, de religiosis opinionibus pauca addere supersedi. Ad rationem quod attinet, quam in eligendis exemplis secutus sum, facile per se intellegetur neque omnes scriptores neque omnes locos qui exstant et ad rem faciunt me ipsum inspicere nedum exscribere potuisse. Itaque praemoneam me ex diversis temporibus eos elegisse scriptores, qui commodissimi mihi visi sint, nec ab huius disputationis consilio alienum putavisse interdum ad Graecos aberrare, quibus Romanos, quod saltem attinet ad sermonem excolendum, non pauca debere quis sit qui neget?

Inquisitio originem ducit a Plauto descenditque usque ad Suetonium; ipse perlegi Plautum, Terentium, Cornelium Nepotem, Lucretium, carmina epigraphica, Suetonium, Senecae philosophi tragoediis exceptis omnia opera; ceterum lexicis nitor.

Imprimis in notionum motione et mutatione discerni possunt tres hi gradus: primum Plauti et Ennii aetas, deinde Ciceronis vel Augusti, denique Senecae Tacitique. Primum dico Plauti sermonem, qui quamvis pedester tamen est vividus singularique quo excellit poeta ingenio quasi fundamentum posterioris emendati sermonis factus est; sequitur dicendi genus Ciceroniani saeculi, quo lingua latina perfecta constitutaque suum florem maturavit, denique alterum tamquam florem lingua latina vidit Senecae Tacitique auspiciis. Ex vario ingenio harum aetatum variatum etiam usum loquendi esse exspectari potest.[1]

1) Editiones adhibui has:

T. Macci Plauti Comoediae ex recensione Georgii Goetz et Friderici Schoell, Lips. 1893—1904.

Restat ut breviter indicem quibus in studiis huius opusculi pangendi causa versatus sum. Praeter libellos initio

---

P. Terenti Afri comoediae iterum secensuit Fleckeisen, Lips. 1898.
Scaenicae Romanorum poesis fragmenta et comicorum et tragicorum tertiis curis recognovit Otto Ribbeck, Lips. 1898 (indicem adhibui alterius recensionis).
Ennianae poesis reliquiae iteratis curis recensuit Johannes Vahlen Lips. 1903.
C. Lucilii carminum reliquiae recensuit Fridericus Marx, Lips. 1904.
T. Lucreti Cari de rerum natura libri sex, recensuit Carolus Lachmannus, Berol. 1850 (hac ex editione loci infra excripti petiti sunt; ubi loci quidem suspecti mihi visi sunt etiam Greechii (Lips. 1826, huius editionis indice usus sum) Forbigeri (Lips. 1828) Munronis adhibui editiones.
Cornelius Nepos erklärt von C. Nipperdey, 2. Auflage besorgt von Lupus. Berol. 1879.
L. Annaei Senecae opera que supersunt recognovit Fridericus Haase, Lips. 1853; De clementia et de benef. ed. Hosius, Dialogi ed. Hermes.
L. Annaei Senecae ad Lucilium epistularum Moralium quae supersunt edidit Otto Hense, Lips. 1898.
C. Suetoni Tranquilli quae supersunt omnia recensuit Roth, Lips. 1875.
Carmina Latina Epigraphica conlegit F. Buechelerus, tom I. II., Lips. 1895—97.
Practerea consului indices vocabulorum Plauti eum quem conscripsit Hermannus Rassow (inest in Jahrb. f. Phil. Suppl. tom XII 1881), Terenti eum a Westerhovio (indicem verborum et phrasium Terenti Bentleiani) curatum, Suetonii eum quem conscripsit Guil. Baumgarten-Crusius.

Lexicis usus sum his:

Forcellini, Totius Latinitatis lexicon.
H. Merguet, Lexikon zu den Reden Ciceros mit Angabe sämtlicher Stellen.
H. Merguet, Lexikon zu den phil. Schriften Ciceros mit Angabe sämtlicher Stellen.
H. Merguet, Lexikon zu den Schriften Ciceros mit Angabe sämtlicher Stellen.
Koch, Wörterbuch zu den Gedichten des Virgilius Maro, 6. Auflage von K. E. Georges.
Omnes ceteri loci, quos attuli, ex editionibus Teubnerianis petiti sunt.

huius disputationis commemoratos auxilio mihi venerunt libri hi: Ed. Wölfflin, Ueber die Aufgaben der lat. Lexikographie. Rh. Museum, tom. 37, p. 83—123. Ferdinand Heerdegen, Lat. Lexikographie. Handbuch der Altertumsw., tom. II, 2. Anhang. Reisig, Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft in der Neubearbeitung von Ferdinand Heerdegen, tom. II, Bedeutungslehre. A. Zimmermann, Der kulturgeschichtliche Wert der röm. Inschriften. Hamb. 1887 (Sammlung gemeinverständlicher wissenschaftlicher Vorträge, herausgegeben von Virchow, neue Folge II, Heft 24). Friedländer, Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms. tom III [6] p. 509—776.

Si quid aliud in usum meum conversum est suo loco indicabitur.

Etiamsi procedente disputatione rarissime tantum ad nominatos libros redibo, tamen et ad quaestionem instituendam et ad res varias recte intellegendas mihi maximi momenti fuerunt.

Sed ut veniamus ad propositum, materiam ita disponam ut enumerem I: voces cotidiano usu adhibitas, II: voces maxima ex parte ominis causa usurpatas, III: voces poeticas vel tropos. Notis usus sum his:

B. — Buecheleri carmina epigraphica.

C. I. L. — Corpus inscriptionum Latinarum.

C. I. G. — Corpus inscriptionum Graecarum.

I.

Voces cotidiano usu adhibitae.

Quicumque hac de quaestione disputaturus est propter vocabulorum copiam ambigere poterit, quo ab verbo disputatio exordiatur. Hanc quidem disputationem ad lexicographiam spectare apertum est. Atqui si lexicographiae suprema lex in quolibet verbo tractando a propria verbi significatione et in verborum synonymorum copia inspiciendorum ab verbo nativo proficiscendum esse praescribit, hanc legem neglegere nisi volumus, nobis exeundum est a verbo

mori.

mori quam maxime proprie idem est quod nos dicimus *„sterben"*; inest nihil poetici, nihil exaggerationis; neque significationis differentiae certae, cum etymologia nondum satis nota sit, erui queunt. Quamquam *mori* esse primam usitatissimamque vocem, quae semper adhiberi possit nulla ratione habita condicionum, quibus mors accidat, nemo erit qui nesciat. Itaque apud omnes scriptores utriusque orationis generis invenitur. Et philosophus in disputationibus de *morte* et poeta, qui amici exitum carmine celebrat, uterque hoc verbo utitur. Quae cum ita sint, ne in mea studia illud *γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας* cadat, me exempla ad huius verbi usum demonstrandum, ut taceam de frequentia usurpationis, collaturum esse noli exspectare; ad nonnullas observationes animum advertere satis sit. Rarissime enim quantum equidem vidi, verborum reliquorum idem ac *mori* significantium invenitur infinitivus; nec multo saepius eadem verba vocabulis *perire* et *interire* exceptis pluraliter adhibita occurrunt. Quarum inusitatarum formarum vice fungitur *mori*. Deinde gerundivum

praeter *pereundum* non nisi *moriendum* reperitur. Contra in titulis sepulcralibus *mori* eo rarius occurrere observavi, nec id mirum est nobis considerantibus illam siccam vocem minus bene quadrare in pietatem, qua sermo sepulcralis uti solet, quam voces illas dulciores suavioresque *abire, decedere, obire, occidere.* Quae dixi me recte observasse fidenter credas velim, longum enim est exempla afferre.

Haec praefatus ad verba ex *mori* derivata transeam

emori, demori, intermori.

Ac primum in verbo *emori* tractando mihi Forcellinii auxilio venit adnotatio, qui *emori* omnino mori significare optime contendit; nam hanc rectam esse observationem cum aliis tum Plautinis Terentianisque exemplis, quibus *emori* vice *perire* verbi fungitur, demonstratur locis his:

Plaut. Aul. 154: ut quidem emoriar priusquam ducam (sc. feminam).

Plaut. Asin 810: emori me malim, quam haec non eius uxori indicem.

Plaut. Pseud. 1222: hercle te hau sinam emori, nisi mi argentum redditur.

Plaut. Stich. 216: paene sum fame emortuos.

Ter. Enu. 888: emoriar, si non hanc uxorem duxero.

Quibus exemplis etiam plura adici possunt, sed allata satis superque docent *emori* ad vim pronuntiationis augendam poni. Contra certam differentiam inter *emori* et *mori* apud scriptores posteriores difficile est indagare propter *emori* verbi raritatem; apud Ciceronem, Catullum, Horatium infinitivus non nisi vocis *emori* invenitur; propterea sunt qui dixerint[1]) *emori* tantum plenioris formae causa praeferri, in significatione autem nihil discriminis inesse. Sed id quamvis arrideat, tamen duo exempla afferre non neglegam, quae me iudice

---

1) Doederl. l. l. tom III. p. 184.

emori interdum etiam apud posteriores maiorem vim habere documento sunt:

conferas:

Sall. Iug. 14. 24: utinam emori fortunis meis honestus exitus esset.

item. Catull. carm. 52:

quid est, Catulle? quid moraris emori?
sella in curuli struma Nonius sedet,
per consulatum perierat Vatinius:
quid est, Catulle? quid moraris emori? [1])

Insequantur *demori* et *intermori*, quae verba quamvis raro tamen his vel illis locis obvia fiunt. Utriusque quae significatio sit per se patescit; ergo nonnulla exempla addere satis sit. Ac primum quidem *demori* apud Plautum idem ac *deperire*, id est alicuius amore ardere, significare his demonstretur exemplis:

Plaut. Mil. glor. 969: ea demoritur te atque ab illo cupit abire.

Plaut. Mil. glor. 1040: non me dico, sed eram meam, quae te demoritur.

Sed proprius usus demum inde ab Cicerone propagatus esse videtur:

Cic. Verr. II. 124: cum esset ex veterum numero quidam senator demortuus.

Cic. Verr. IV. 9: sanxerunt, nequis emeret nisi in demortui locum.

Intermori autem ita raro occurrit, ut ex scriptoribus, quos ego inspexi, tantum unum exemplum habeam, quod addam:

Suet. Nero 42: conlapsus animoque male fracto diu sine voce et prope intermortuus iacuit.

---

1) in utroque versu omnes sinceri codices 'mori' pro 'emori' praebent; codex Harleianus solus lectionem 'emori' affert, quam certam emendationem esse quis est qui neget?

Hactenus de *mori* vocabulo eiusque compositis. Nunc vero, utpote cum non solum de verbis sed etiam de substantivis disputare mihi propositum sit, accedamus ad substantiva

mors, letum.

Perstrinxit haec vocabula iam Hoffmannus l. l. p. 4. etsi non nisi paucis verbis dicens: „*letum* kommt fast ebenso häufig vor als *mors,* aber nicht im Plural".

Hanc observationem esse rectam secundum ea quae ipse animadverti impugnari nequit. Attamen de his vocabulis denuo disputaturus rem actam agere non videar, praesertim cum Hoffmannus, quamquam multa exempla ad eorum usum illustrandum diligentissime contulit, omnino non respexerit differentias, quales exstant inter utramque vocem. Ac primum quod Forcellinius *letum* sublimioris orationis esse dicit, hoc discrimen non multum valet, quoniam hoc iudicium solummodo ex poetico usu derivatum est. At certam ansam ad naturam vocis *letum* eruendam praebet etymologia; *letum* enim natum est ex stirpe *le,* quod verbum ipsum in usu non est, sed tamen latet in *delere* composito. De his Priscianum grammaticum V. 57 disserentem audimus sic: *sunt quaedam (sc. composita), quorum simplicia in usu frequenti non sunt, ut defensor, repleo, compleo, suppleo, deleo, releo, defendo, offendo, respicio, aspicio, suspicio, despicio. Quod autem rationabiliter simplicia quoque horum possunt dici, ostendunt nomina ex iis nata. Plenus quasi a pleo verbo; letum quasi a 'leo' verbo et 'leor'.*

letum igitur significat ut vernaculo sermone utar „Vernichtung" id est „modum et actionem *moriendi*", cum *mors* generaliter adhibeatur, nec aliud nisi statum mortui perfectum (Zustand des Totseins) significat. Quod ad demonstrandum nonnullos locos colloco:

mors (status mortis):	letum (genus mortis vel species):
Plaut. Capt. 741: post mortem in morte nihil est quod metuam mali.	Plaut. Merc. 483: responde, quo leto censes me ut peream potissimum?
Plaut. Rud. 675: par nos est moriri neque melius morte.	Plaut. Mil. 1241: alio modo, si non quibo impetrare, consciscam letum.
B. 1567: mors etenim hominum natura, non poena est.	Cornel. Nep. de reg. 2: ex his Antigonus in proelio occisus est, pari leto affectus est Lysimachus.

Etiam clarius hoc discrimen perspicitur iis exemplis quibus utraque vox iuxta posita animadvertitur: velut locis his:

Statius Theb. IX. v. 280: mille modis leti miseros mors una fatigat.

Luc. Phars. III. 689: mille modos inter leti, mors una timori est.

Ovid. trist. I. 2. 51: nec letum timeo; genus est miserabile leti.
demite naufragium, mors mihi munus erit;

quos versus mihi vertere liceat: Nicht irgend eine Art des Todes fürchte ich; nur diese Art beklage ich. Bleibt mir nur der Schiffbruch erspart, so wird mir der Tod an sich nur eine Erlösung sein.

Porro ne illud quidem videtur neglegendum etiam ex epithetis, quae interdum accedunt ad *letum* substantivum, id quod desideramus, perspici.

Nam epitheta *malum* — cfr. Plaut. Aul. 661: *emortuom ego me mavelim leto malo* — et ea quae Hoffmannus l. l. p. 4 contulit *nobile, longum, celere,* nonne iterum documento sunt *letum* modum moriendi significare?

Enimvero antiquos quoque discrimen fecisse inter utramque vocem clare elucet eo, quod praeter 'Mors' etiam 'Letum' deum putaverunt et iuxta posuerunt: legimus enim apud

Petronium c. 124 v. 255: emergit late Ditis chorus, horrida Erinys et Bellona minax facibus armata Megaera Letumque Insidiaeque et lurida Mortis imago.

Similia habet Senec. Oed. 652: Letum Luesque, Mors, Labor, Tabes, Dolor.

Ceterum has voces saepissime permutatas, denique vero quasi inter se concinentes notiones adhibitas esse me omnino non fugit. Ac ne omnes quidem veteres cognovisse vocabuli *letum* veram etymologiam, immo non paucos hoc vocabulum cum graeca voce *λήθη* cohaerere putavisse huius vocis scribendi ratione affirmatur; legitur enim *lethum* pro letum, *lethalis* pro letalis.

His absolutis iam videamus, quaenam aliae voces cotidiano usu sint adhibitae; qua in re nemini dubium erit, quin inter primas huc referendae sint voces

perire et interire.

A *perire* verbo proficiscenti mihi paulo a proposito aberrare liceat; nam non solum de *perire* verbo pro *mori* adhibito disputaturus sum, sed potius de significationibus quae insunt omnibus, quatenus ad homines spectant, exemplis solummodo ex Plauto allatis nisus disserere hoc loco mihi in animo est. Memorabile enim *perire* est duplici ratione, primum propter significationis varietatem, deinde ideo quod animadvertere possumus quomodo huius verbi notio constituatur paulatimque magis magisque crescens in notionem *mori* abeat. Iam singula videamus; *perire* proprie est evanescere inter multitudinem aut rerum aut hominum. Exemplo sint:

Plaut. Rud. 39 ff.: huic filiola virgo periit parvola (virgo non mortua est; nam sequuntur versus: „eam [sc. virginem] de praedone vir mercatur pessumus; is eam huc Cyrenas leno advexit virginem.“)

Plaut. Rud. 1110: ubi sunt signa quibuscum parva periit Athenis.

Plaut. Capt. 537: utinam te di prius perderent, quam periisti e patria tua.

Plaut. Poen. 987: nil edepol: nam qui scire potui, dic mihi, qui illim sexennis perierim Charthagine.

Ex propria significatione deinceps natae sunt hae:

a) *perii* = *ἀπόλλωλα* (formula iurandi desperandique): conferas: Plaut. Most. 211: perii hercle, ni ego illam pessumis exemplis enicasso. Plaut. Merc. 705: perii hercle: rure iam rediit uxor mea.

b) *perire* dicitur de amantibus, id est amore confici: Plaut. Merc. 265: unum hoc quidem iam scio, me periisse. Plaut. Merc. 443: adulescens efflictim perit eius amore.

c) *perire* dicuntur, qui fortunas aut statum amittunt:

Plaut. Rud. 978: nam si istuc ius sit, quod memoras, piscatores perierint.

Plaut. Truc. 619: tum pol ego et donis privatus sum et perii.

Plaut. Most. 322: periit Tranio (id est: fiduciam et statum amittit.)

d) *perire* dicitur de morte morali:

Plaut. Bacch. 485: nam ego illum perisse dico, quoi quidem periit pudor. Plaut. Bacch. 1040: utram (sc. condicionem) tu accipias vide: vel ut aurum perdas vel ut amator pereat. Plaut. Amph. 810: perii miser, quia pudicitiae huius vitium me absentest additum.

e) denique *perire* in notionem *mori* abit:

Plaut. Rud. 451: quos periisse ambos misera censebam in mari. Plaut. Capt. 1005: pereat fame. Plaut. Rud. 361: perit potando opinor. Plaut Curc. 215: vapulando pereo.

Quae exempla in immensum augeri possunt sed satis sit adnotare inde a Plauto huius vocis varium usum per totam latinitatem propagatum inveniri.

Nec significatione nec compositione a *perire* differt verbum *interire;* itaque res de *interire* verbo acta esse videatur ita ut plura addere non opus sit. Attamen ut accuratius de *interire* vocabulo disputem, Doederleinius me impulit, qui vir doctissimus olim in libro qui inscribitur Lat. Synonyme tom III. p. 177 disseruit haec: „perire stellt den Tod als eine Zerstörung und Verderbnis, interire aber als ein Verschwinden dar, so dass genau genommen jenes mehr den Körper, dieses mehr die Seele angeht.“

Doederleinius loco ex Plauto allato nititur, quem hic afferam: Plaut. Capt. 690—94 Ty.: *qui per virtutem perit non interit.* Heg.: *quando ego te exemplis pessumis cruciavero atque ob sutelas tuas te morti misero vel te interisse vel periisse praedicent.*

Sed ut taceam de eo, quod hoc Doederleinii iudicium nimis artificiosum videatur, ego tale discrimen ex allato loco omnino non eruere possum; immo animus meus eo inclinat, ut ex hoc loco non minus quam ex omnibus reliquis, quae inspexi, exemplis *perire* et *interire* inter se concordare concludam; nam sensus est: qui per virtutem *perit,* non *perit.* Ceterum distinctionis certa indicia ut indagemus, exemplorum copia inspicienda est, qua in re id fortasse observatur *interire* interdum maiorem vim habere. Quod ad illustrandum nonnullos locos colloco.

interire:	perire:
Plaut. Cist. 626: satiust mihi quovis exitio interire.	Plaut. capt. 693: dum pereas, nihil aiant vivere.
Nep. de reg. 22: Pyrrhus in Peloponneso lapide ictus interit.	Nep. Eum. 7. 5: satius duxit perire quam ingratum vivere.
Nep. Hamilc. 4. 3: Hannibal assiduis patris obtestationibus eo est perductus, ut	Suet. Vitell. 2. 3: in eadem custodia morbo periit.
	Senec. ep. 4. 8: recognosce exempla eorum, qui domesti-

interire quam Romanos non experiri mallet (interire positum est, ut vis iuris iurandi augeatur).
Sall. Iug. 17. 6: plerosque senectus dissolvit, nisi qui ferro aut bestiis interiere.

cis rebus perierunt, aut aperta vi aut dolo.

Sed aliud omninoque gravius discrimen interest inter utramque vocem, id vero ad usus frequentiam respicit. Observavi enim *interire* argentea latinitatis aetate paulatim rarescere, quod quo clarius cognoscatur numeris nitar; rationem scilicet tantum eorum locorum habui, qui ad hominum mortem spectant. Animadverti apud Ciceronem, Nepotem, Sallustium utriusque vocis frequentiam satis concordare, contra *interire* rarescere apud Senecam (*perire* novies invenitur, *interire* tantum semel, si recte memini), item apud Tacitum (*perire* sexies decies — *interire* septies), item apud Suetonium (*perire* sexies decies — *interire* ne semel quidem).

Denique adnotare expedit in titulis sepulcralibus verbum *interire* mihi quidem non occurrisse, cum *perire* aliquoties obvium fiat: cfr. B. 1440; 1334; 1342; 1319.

His perpensis pergamus nunc ad substantiva, quae verbis *perire* et *interire* respondentia occurrunt; dico substantiva interitus, exitium, caedes, nex. Sed quamquam non ignoro de his substantivis nihil dici posse, quod non iam ab aliis in vocabulariis lexicisque dictum sit, tamen neglegere ea non licebit, siquidem hanc disputationem saltem plenam te putare velim. Itaque me exempla ad horum vocabulorum usum illustrandum allaturum esse noli exspectare, nec aliud hoc loco mihi in animo est nisi in universum atque quam brevissime ea proferre, quae mihi memoratu digna visa sunt. Ac primum quidem *exitium* et *nex* vocabula iam apud Plautum occurrunt, cum *caedes* et *interitus* recentioris originis sint; *caedes* enim primus adhibuit Ennius (Ribb. frg. trag. Enn.

Teleph. III), *interitus* primus usus est Cicero; quamquam omnino non constat has voces antea non exstitisse. Deinde quod ad differentias attinet quae intersunt inter vocabula modo allata, in universum quidem statui potest *interitus*[1]) et *exitium*[2]) generaliter, *nex* et *caedes* specialiter adhiberi. Quae tamen distinctio nimis lata est multaque intacta relinquit. Hoc autem loco in mentem mihi incidunt verba, quae Georgius Curtius in libro, qui inscribitur: Grundzüge der gr. Etymologie [5] pg. 94 ex commentariis, quos dicimus Litterar. Centralblatt anni 1852 p. 484 citavit: „Die Worte einer Sprache gehen in der Entwicklung ihrer Bedeutung nicht einen logischen schnurgeraden Weg, es ist eine reine Täuschung, wenn wir ihnen nachträglich eine solche Reiseroute nachweisen zu können glauben. Wer die Worte einer Sprache über das Gerüst eines logisch entworfenen Schemas spannen wollte, der würde sie zu Tode martern und den Geist frischen, leichtfertigen, kecken Lebens, ihre eigentliche Seele verscheuchen."

Quibus verbis quantum veritatis insit, id alii diiudicent.[3]) Verum tamen tales opiniones primo obtutu ineptas non putabis, si copiam significationum reputaveris, quam lexica nonnumquam sub eadem voce afferunt. Attamen videamus, num certiores differentiae erui possint. Et hac in re quatenus agitur de *caedes* et *nex* vocabulis, etymologia nobis iterum auxilio venit; *caedes* enim natum est ex stirpe verbi *caedere*; *caeditur* vero aut virgis aut ferro aut alio quolibet instrumento. Itaque si actus *caedendi* mortem attulit, illa mors *caedes* dici solet; neque obsistit huic interpretationi usus vocabuli per totam latinitatem propagatus. Nam ubicumque scriptor aliquis de proelio aut pugna rettulit, haec vox invenitur (vid. Caesarianum et Tacitinum lexicon).

---

1) Ad *interitus* vocabulum compares quae supra exposui de *interire*.

2) Ad *exitium* infra iterum redibo.

3) Hac de re optime egit Heerdegen apud Reisigium, Vorles. tom III. p. 67.

Denique, ne vocabulum *nex* neglegamus, verissimum mihi videtur quod viri docti *nex* cum verbo *nocere* cohaerere eamque stirpem etiam in vocibus *enecare*, *enectus*, *internecio* latere statuerunt. Quod ut affirmem etiam usu vocis commoveor; nam siquidem notio nocendi inest, vocabulum *nex* non nisi de morte externa vi illata dici debet. Atque vero hanc legem secutos esse optimos saltem scriptores et Doederleinii [1]) iudicio et meis observationibus confirmatum habeo.[2])

Iam pertractavimus ea verba et substantiva, quae quamvis poesis comicae propria attamen omnino non eius finibus continentur, sed inde a Plauto per totam latinitatem sunt propagata. Cuius rei causa in eo conspicienda est, quod voces *perire, interire, letum, caedes, nex* rem actam ita nominant, ut re vera se praebebat: *perire* et *interire* = verschwinden, *caedes* = Totschlag, *letum* = Vernichtung, *nex* = Schaden mit tötlichem Ausgang. Quotienscumque scriptor mortem alicuius accuratius explicare volebat, quin his vocabulis uteretur facere non poterat.

---

1) Doederlein l. l. tom III. p. 174.

2) Hoc loco etiam adnotare mihi liceat nominativum vocabuli *nex* tantum semel occurrere; locus est hic: Cic. pro. Mil. 10. *insidiatori vero et latroni quae potest inferri iniusta nex?* Tum rarissime invenitur pluralis numerus, cuius exempla haec habeo quinque, quae addam: Cic. Cat. I. 18. Cic. pro Caecina 100. Cic. Tusc. III. Tacit. hist. V. 8. Afferam etiam Cul. v. 310; qui locus inter alios ad demonstrandum Vergilio hoc carmen falso adscriptum esse prolatus est (ita Birtius de Halieuticis p. 47); nam Vergilius *mortes* scribere praetulit.

II.

Voces maxima ex parte ominis causa usurpatae.

Quae antecedenti capite exposui, ut paucis comprehendam, eas voces attuli, quas cotidianus usus poscebat. Haec vocabula postquam nata erant, tum demum novandorum verborum oriri poterat cupiditas; neque quid fuerit quod ad novas voces arcessendas incitavit ignoratur; fuit enim ut Ottonis Keller verbis utar, „die abergläubische Scheu vor Ominösem". Quod autem omnes voces ominis causa arcessitas esse ille vir doctissimus contendit, nimium fecit, nam estne re vera *mori* vocabulum tam acerbum ut ubicumque pro *mori* aliam notionem positam invenimus ominis metum suspicari fas sit? Etenim non paucae earum vocum, quae novatae sunt, potius illi sermonis excolendi amplificandique attribuendae sunt cupiditati, quae magis minusve inest unicuique populo. Velut tropos qui sunt *e vita abire, animam efflare, animam extinguere,* quis est qui ominis causa excogitatos esse statuat?

Priusquam autem ad hos tropos, quibus disputatio maxime continebitur, transeam, nonnullas alias voces afferam, quarum ex numero nimirum plurimae, ut Ottoni Keller libenter concedo, ominis causa adhibentur, quarum tamen universa copia sub divisionis certam speciem redigi nequit. Iam singula videamus.

defungi, fungi.

Ac primum quidem de verbo *defungi* est disputandum. Itaque quomodo hoc verbum in notionem *mori* abierit ut cognoscas te respicere velim Terentiana exempla haec:

Ter. Eun. prol. 14: *defunctus iam sum, nihil est quod dicat mihi* (id est: *liber sum, periculum laboremque effugi*).

item Phorm. 1023: *cupio misera in hac re iam defungier.*

Quam propriam significationem verbi si perpenderimus, altiorem et de vitae pretio severiorem opinionem subesse voci *defungi* quam ulli alii pro *mori* usurpatae dilucebit, nec incommode cum locutione *defunctus est* concinere statuas id quod nos dicimus: „er hat vollendet, er hat ausgerungen.“ [1])

Ergo luctantes quasi laborantesque mortales per vitam migrare putantur, cuius miseriis aerumnisque mors homines levat. Atque quantum onus Romanis visa sit vita, exemplis probatur his; leguntur enim in titulis:

B. 460: hanc sedem longo placuit sacrare labori.

B. 507: poena fuit vita, requies mihi morte parata est.

B. 946: multiplici cura defessus nunc securus quiesco.

C. I. L. VI. 10251. a: aliquando securus sum.

C. I. L. III. 276: requiescit ab humanis sollicitudinibus.

Itaque in titulis non paucis defunctum loquentem audimus sic:

B. 145: nolite dolere eventum meum;

quae verba redeunt C. I. L. VI. 8023. 17196. 6932. *Eventus igitur* in bonam partem accipiendum quasi pretium quod defuncti accipiant.

Sed ut ad verbum ipsum transeam, hae tres formae inveniuntur: *defungi, perfungi, fungi;* neque quicquam discriminis in significatione inter ea animadvertitur. Verum notandum haec verba aurea in latinitate satis raro occurrere nec aliter nisi cum substantivo aliquo iuncta. Substantivorum autem ex numero, quae accedere solent, praecipue haec sunt:

mors, vita, fatum, aevum, aetas.

a) accedit *vita*

cfr. Verg. Georg IV. 475: matres atque viri defunctaque corpora vita magnaninum heroum; redit haec locutio Aen VI. 306.

---

1) Eadem opinio subest graecae voci *καμόντες* vel *κεκμηκότες* pro *mortui* adhibitae. cfr. Od. 24. 14. *ἔνθα τεναίουσι ψυχαί, εἴδωλα καμόντων.* item Il. 3. 278. Eurip. Suppl. 756.

B. 171: ut caperet tellus perfunctos vita beata.
B. 110: non ut meruit vita functa est subito.

b) accedit *mors*

Ovid. met. XI. 583: at dea non ultra pro functo morte rogari . . . sustinet.
Suet. Caes. 89: neque sua morte defunctus est.
addas etiam Curt. 3. 11: circa currum Darii iacebant nobilissimi duces, ante oculos regis egregia morte defuncti.

c) accedit *tempus*

Tib. 3. 3. 9: tum cum permenso defunctus tempore lucis nudus Lethaea cogerer ire rate.

d) accedit *fatum*

Ovid. met. XI. 559: pars magna virorum fato functa suo est.
B. 1218: perfuncti fato hic tenuere locum.

e) accedunt *aevum* et *aetas*

B. 644: condidit hic mater natum aevo functum angusto.
Senec. ad Marc. 22. 4: aetate defunctus.

Multo autem plura exempla sunt, quibus haec verba absolute pro *mori* posita inveniantur; neque qua aetate initium imprimis ceperit hic usus ignoramus. Nam argentea latinitate et postea eum maxime viguisse copia exemplorum probat; sed tamen ne terminus, si ita iudicamus, parum recte constituatur vereor, quoniam ex aurea quoque latinitate unum exemplum, quo *defungi* absolute usurpatum occurrit, mihi praesto est:

Ovid. amor. I. 8. 108: *saepe mihi dices vivae bene, saepe rogabis ut mea defunctae molliter ossa cubent.*

Iam autem mihi obiiciat aliquis etiam *functus* Augustea aetate absolute usurpatum inveniri locum ex consolatione ad Liviam proferens, quam Augustea aetate compositum esse nuperrime Skutschius[1]) contendit.

---

1) cfr. Pauly-Wissowae encyclop. real. IV. p. 933 sqq.

Inspicias vers. 393 sq.: *adde quod est absens functus nec cernere nati semineces oculos sustinuere tui.*

Quid? nonne insolens Augustea aetate vocis *functus* usus inter alia causa fuit, cur olim Hauptius (in programmate Lips. 1849) consolationem ad Liviam non solum ab Augustea aetate sed a tota antiquitate abiudicaverit? Nimirum id etiam Skutschium non effugit, sed haec difficultas eum non movit dicentem: doch ist eine solche Einzelheit belanglos, wenn ihr gewichtigere Argumente widersprechen.

An vero recte censuerit Skutschius, si hanc rem nullius momenti esse sentit, iure quaerat quispiam, nam *defunctus* nude positum mihi quidem multo tolerabilius et prius receptum esse videtur quam *functus.* Itaque iterum haec quaestio disputanda erit; certe etiam audiendi sunt Birtius[1]) et Huebnerus[2]) qui hoc carmen una cum duabus in Maecenatem elegiis tempore Iuliorum et Claudiorum dominationis compositum esse sibi persuaserunt; idque optime etiam quadraret ad tempus, quo exempla, quibus *functus* nude adhibitum occurrit, plura numero inveniuntur. Conferas:

Senec. Thyest. 749: ne tegat functos humus.

Senec. Medea 999: coniunx socerque iusta iam functis habent a me sepulti.

Stat. Theb. II. 15: nec livida tabes invidiae functis quamquam et iam lumine cassis defuit.

ibid. IV. 511, IV. 483, VIII. 11. item B. 440, B. 160, B. 1130.

Multo autem saepius *defungi* pro *fungi* invenitur velut in titulorum unaquaque fere pagina; exemplo sint:

Senec. ad Polyb. IX. 2: nam si nullus defunctis sensus superest.

Tacit. ann. 15. 22: defuncta est virgo Vestalis Laelia.

B. 613: quam iam prope nupptum miserae defunctae sunt ambae.

Sed exemplorum quae in immensum augeri possunt, modus sit.

---

1) Ad hexametri historiam symbola p. 68.

2) in Hermae Berolinensis tom. XIII. anno 1878, p. 145 sqq.

Priusquam autem pergo in iis, quae mihi absolvenda sunt, nonnulla praemoneam. Cuique enim homini natura insitum est, ut metu quodam afficiatur rerum omnium quibus aliquid terribile inest idque maxime animo observatur, si tale aliquid verbis exprimere cogitur. Quem metum et apud singulos populos diversa vehementia esse manifestum sit. Atqui Romanos imprimis huic superstitioso metui effusius indulsisse inter omnes constat. Quod luculentis exemplis ut intellegas, te considerare velim illas voces *Manes* (di boni, qui re vera daemones[1]) placandi putantur; cfr. Ovid. Fast. II. 548 sqq.) et *Parcae* (sc. quae parcunt, quamquam eae ipsae homines acerbo funere mergunt), exempla duo praeclarissima.

Eiusmodi plura etiam in vocibus pro *mori* sive *mors* adhibitis animadverti nunc demonstrabo. Sed apertum est homines ut terribile, quod vocabulis *mori* atque *mors* inest, effugiant tum maxime studere, cum de vera morte disputent. Itaque non mirum est, quod imprimis in carminibus sepulcralibus et scriptis consolatoriis, quorum scilicet scribendi ratio par est, exempla huiusmodi suppetunt. Ac primum quidem cognoscas velim, quaenam substantiva ominis causa pro *mors* adhibeantur.

Saepissime occurrunt vocabula

dies, hora, quies.

Adiectivorum ex numero, quae his substantivis accedunt — nam absolute numquam poni solent — afferam haec: *supremus, ultimus, acerbus, ater, dirus, iniquus, debitus, inmaturus, inevitabilis, fatalis, miserabilis.*

Exempla cum ubivis sint obvia, satis habeo nonnulla proferre, quibus

a) *dies* addito aliquo adiectivo vocis *mors* vice fungitur.

B. 1036: florentem vita sustulit atra dies.

B. 554: inmatura dies male te abstulerat.

et saepius cfr. B. 1159, B. 1160, B. 1155, B. 1304.

---

1) Tibullus enim dicit II. c. 37. neglecti mittunt mala somnia Manes.

b) *hora.*

B. 367: aspicite hanc speciem, iuvenes, miserabilis hora quoi lucem eripuit.

B. 389: sed nimium subito fatalis me abstulit hora.

c) *quies.*

B. 1282: inmatura quies quos abstulit, hic siti sunt tres.

B. 1170: mors cuncta eripuit, dira quies hominum.

Substantivo *quies,* ut hoc obiter adnotem, *adquiescere requiescere quiescere* verba respondent, quae nimirum minus *mori* notionem circumscribendi causa ponuntur quam potius locutionem *iacere in sepulcro* devitandi gratia; nam saepissime animadverti potest magna industria *sepulcrum* vocabulum vitare adamavisse auctores titulorum. Quae dixi ut exemplis illustrem, ennumerentur nonnulla vocabula, quae pro voce *sepulcrum* adhibita inveniuntur:

marmor: *flere cupis quicumque meos in marmore casus* B. 541; item B. 516, B. 1175.

saxolus: *hic de saxsolus regat ut se aspicias . . .* B. 848.

saxus: *magna hominis hic ossa tegit saxsus* B. 415.

monumentum: *uxor cara viro monumentum fecit amanti* B. 1138.

tumulus: *reliquiae cineris tumulo mandata quiescunt* B. 1189. et saepius; cfr. B. 473, B. 1208.

tumuli: *his iacet exanimis tumulis Aelia Sabina* B. 442 cfr. etiam B. 1181, 1151.

lar Ditis: *quem genuit, genetrix secum tenet in lare Ditis* B. 442.

aeterna domus: *aeternamque domum petimus et finem laborum* B. 1190.

leti domus: *heus, oculo erante quei aspicis leti domus, morare gressum* B. 55.

perpetuum otium: *otio sum perpetuo tradita* B. 1567.

aeternus torus: *igitur, domine Oppi martte, ne doleas mei, quod praecessi: sustineo in aeterno toro adventum tuum* B. 1567 v. 15 sqq.

sarcophagus: *dulci Proserii coniux Vincentia quondam sarcophago hoc tegitur* B. 638; cfr. etiam B. 1301.

requies fati: *haec illi nunc requies fati, haec sedes aeterna* B. 625.

Sed iuvat adnotare vocabula *quiescere*, *adquiescere*, *requiescere* idem ac *in sepulcro iacere* significantia recentioris originis esse, in prisca autem latinitate ea pro *mori* esse adhibita. legimus enim apud NepotemHannib. 13. 1:

sic vir fortissimus multis variisque perfunctus laboribus anno acquievit septuagesimo.

nec aliter hoc verbo utitur Val. Max. IX. 12. ext. 1:

is enim ad consulem perductus . . . caput operuit innixusque genibus conpresso spiritu inter ipsas custodum manus exoptata securitate adquievit.

Addas etiam locum Tacitinum ann. 14. 64:

ac puella vicensimo aetatis anno inter centuriones et milites, nondum tamen morte adquiescebat.

Sed ut ad rem revertamur quaenam alia substantiva *mors* vocis vice fungantur videamus. Iam ad ea pergamus, quae ad Stoicorum doctrinam respiciunt, quorum ex opinione *mors* iam nascentibus fato denuntiata et naturae necessitate omnibus destinata est. Quae sententia Stoica aptissime exprimitur formula hac:

nascentes morimur, finis ab origine pendet

(qui versus sumptus est ex astronomicis quae Manili vocantur IV. 16; redit hic versus B. 1489); paulo aliter eandem sententiam expressam iuvenies in titulo B. 1567:

mors etenim hominum uatura, non poena est: cui contigit nasci, instat et mori.

Qua ex doctrina manavit primum illud *naturae concedere* sive *naturae reddere;* id quod nos dicimus „der Natur seinen Tribut zahlen"; inspicias:

Sull. Iug. 14. 15: pater, ut necesse erat, naturae concessit; paulo aliter dicit Cic. pro Cluent. 29: qui naturae satisfecit;

Nep. de reg. 1. 5: ex his duo eodem nomine morbo naturae debitum reddiderunt.

B. 93: decumo anno vitam et lucem reddidi (sc. naturae).

B. 965: nunc in hoc sepulcro quiesco reddito naturae debito.

Tum saepissime legitur in titulis illud: *faciendum* (sive *faciundum*) *fuit:* es musste geschehen; quae verba sensu plane carerent, nisi sententia *lege vel necessitate naturae faciundum fuit* supplenda esset. exemplo sint:

B. 147: dolere noli mater: faciundum fuit;

B. 150: aetas properavit, faciundum fuit, noli plangere, mater.

Locutioni *faciundum est* respondet *veniundum est*, quod iterum nobis obvium fit in titulis:

B. 242: hospitium tibi hoc; invitus venio. veniundum est tamen.

Eandem ad doctrinam Stoicam referenda sunt haec quoque vocabula pro *mors* adhibita

fatum sors fortuna.

Verum *fatum* et *fata* — quin etiam forma *fatus*[1]) occurrit — pro *mors* usurpari exemplis confirmare supervacaneum esse puto. Itaque satis sit nonnullos locos afferre, quibus *fortuna* et *sors* eiusdem notionis partes explent.

B. 980: saeva parentibus eripuit fortuna meis me.

B. 456: o, quam dura tibi . . . fortuna, quae te sub Tartara misit.

B. 1440: hac quoque nata iacet, Petronia, sorte perempta.

B. 467: sed iniqua sorte maligna rapta iaces.

Tum animadverti potest titulorum auctores vocabulum *mors* ita quoque devitare adamavisse, ut ex circumscribendi ratione eluceat valuisse in iis deorum infernorum religionem. Ex numero deorum, quorum aliquoties mentio fit, enumerentur hi:

B. 1311: Persephone votis invidit pallida nostris, et te praematuro funere rapuit.

B. 1223: omnes] aeque rapit Ditis acerba manus.

B. 1058: at saevos Pluto rapuit me ad inferna templa.

C. I. L. II. 2255: dii manes receperunt Abulliam.

---

1) Exempla congessit Ritschl Opusc. IV. p. 245 sqq.

Saepissime autem Parcae auctores mortis nominantur: legimus enim:

B. 1156: Parcae crudeles! nimium properastis rumpere fata mea;

B. 1114: cum mea Lethaeae ruperunt fila sorores.

B. 456: si longa magis duxissent fila sorores, aequius iste lapis complecteret ossa paterna;

quae centum aliis exemplis confirmare possum.

Deinde etiam ratio habenda est vocis *sopor,* quae substantivis ominis causa adhibitis addenda mihi visa est. Etenim mortem cum *sopore* vel *somno* collocavisse veteres satis constat; nam Graecorum litteris picturisque hanc sententiam non raro pulcherrime illustratam invenimus. Subit me picturae illius praeclarissimae recordatio, qua fratres *Mors* et *Somnus* mortuum sepulcro condituri cernuntur. Hac in re unicuique excitatur memoria Lessingi quoque disputationis, quae inscribitur: Wie die Alten den Tod gebildet; qua in commentatione aliam graecam similis generis picturam Lessingius sagacissime interpretatus est. Neque aliter Romanos censuisse docet Vergilius Aen. VI. 278 scribens sic:

tum consanguineus Leti Sopor.

Hinc *sopor* pro *mors* dicitur. Atque iam Plautum hanc vocem adhibentem observamus

Amphitr. v. 303 sqq.: *iam pridem videtur factum, heri quod homines quattuor in soporem collocastis nudos;* et ibid. 306.

At sapius *sopor* occurrit addito aliquo adiectivo, velut

perpetuus, aeternus, altus.

inspicias:

Lucr. III. 920: nam licet aeternum per nos sic esse soporem nec desiderium nostri nos adficit ullum.

Hor. I. carm. 24. 5: ergo Quintilium perpetuus sopor urget?

B. 1666: ... ca] ram sopor [altus habet ...; ita verissime restituit Buechelerus.

Simili ratione *sopitus* pro *mortuus* occurrit. exemplo sint:

Lucr. III. 920: nec sibi enim quisquam tum se vitamque requirit, cum pariter mens et corpus sopita quiescunt.

Lucr. III. 902: tu quidem ut es leto sopitus;

Lucr. III. 1036: (Homerus) quiete sopitus.

Exempla ex titulis mihi praesto non sunt, quamquam quin talia inveniantur omnino non dubito.

Quoniam de substantivis, quae vocabuli *mors* vice funguntur, disputavi, nunc ad aliquot verba iterum maxima ex parte ex carminibus sepulcralibus allata animum derigamus, ut quaenam in locum notionis *mori* supponantur voces cognoscamus; exemplo sint:

a) *vixit* (= er hat ausgelebt).

B. 1304: cara suis vixit . . . quam properans fatis pressit acerba dies;

B. 567: vixit, rapuit quam mors in limine vitae;

B. 381: vixi viro cara custosque fidelis;

B. 106: vixi beatus dis.

b) *iam non est* (= er ist nicht mehr).

B. 423: Oppia iam non est;

B. 152: mater monumentum fecit maerens filio ex quo nihil unquam doluit, nisi cum is non fuit

(quam eandem sententiam pulcherrime expressit Chamisso poeta verbis praeclaris: Nun hast du mir den ersten Schmerz getan eqs.); elocutio *ex quo* sive *ex qua nihil unquam dolui* varie mutata occcurrit in titulis velut: C. I. L. VI. 23176, 24243, 8628, 19100.

c) *fuit* (= er ist dahin), quod primus Lucretius usurpavisse videtur; dicit enim III. 915:

iam fuerit, neque post unquam revocare licebit;

redit haec vox apud Verg. Aen. II. 325:

„fuimus Troes, fuit Ilium et ingens gloria Teucrorum“.

Inde in titulos migravit: inspicias

C. I. L. II. 3676: fuisti vale;

C. I. L. II. 3689: Sergius . . . cius fuisti Vale;
C. I. L. II. 3671: Annia Asi (tio) annorum XIIII, Ocratia Sicina annorum XVI . . . fuistis valete;

quae tria exempla Zimmermanno [1]) debeo. Hic etiam omittere nolim adnotare vocem *fuit* interdum accuratius explicatam occurrere ita ut auctores titulorum quid de condicionibus post mortem senserint ex iis cognoscatur.

Afferam exempla haec:

B. 247: non fui, fui, non sum; non desidero;
B. 1585: non fueram, non sum nescio, non ad me pertinet;
B. 800: non fueras, non es, iterum nunc desines esse;
B. 1496: olim non fuimus, nati sumus, unde quieti nunc sumus ut fuimus. cura relicta vale;
C. I. L. VI. 9258: non fui et so, non ero, non mihi doles;
C. I. L. II. 1434: nil fui, nil sum; et tu, qui vivis, es, lude, veni.

Per haec iam ad graviora perventum est; exempla enim, quae modo exscripsi, ad quaestionem quid Romani censuerint de inferis vel de vita quae post mortem futura sit respicere in propatulo est. Sed non a me postulabitur, uti a capite tamquam exorsus quae his de rebus illis temporibus disputata sunt exponam; adeantur de his quaestionibus libri philosophici atque mythologici.[2]) Sed iuvat monere id, quod iam ab aliis dictum vidi, discrimen facere opus esse inter viros doctos et non doctos vel plebem; nam aliter hi, aliter illi de condicionibus quae post mortem sunt, senserunt. Etenim virorum doctorum non pauci fuerunt, qui aut vitam futuram esse negaverint — his succurrit Lucreti auctoritas dicentis III. 640: *at quod scinditur et partis discedit in ullas,* (dicitur

1) Zimmermann l. l. p. 27.

2) Libri huc conferendi sunt hic:
E. Rohde: Psyche. Seelenkult und Unsterblichkeitsglauben der Griechen;
E. Maass: Orpheus;
A. Dieterich: Nekyia;
E. Norden: P. Vergilius Mar. Aeneis Buch VI.

de anima) *scilicet, aeternam sibi naturam abnuit esse* — sive Epicuri magistri ipsius, qui teste Lactantio divin. inst. III. 17. 33. contendit sic: *nam quod cum corpore nascitur, cum corpore intereat neccesse est* (Usener Epic. fg. 336) — aut saltem valde dubitaverint.

Nullum Orcum esse, nullum Acherontem, Cocytum ait Cic. Tusc. I. 5—6, lusisse illa poetas et vanis vulgum agitasse terroribus; neque alia leguntur nat. deor. II. 2: *quaeve anus tam excors inveniri potest, quae illa, quae quondam credebantur apud inferos portenta extimescat?* item Lucr. 978 sqq. conferas etiam quae exstant apud Iuvenalem sat. II. 149—152:

esse aliquos manes et subterranea regna
et contum et Stygio ranas in gurgite nigras
. . . .
nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lavantur.

Quin etiam Seneca recentioris disciplinae Stoicae princeps num re vera animam immortalem esse et loco nescio quo permansuram esse sibi persuaserit iure quaerat quispiam. Sunt scilicet in consol. ad Helv. 11. 7. ad Polyb. 9. 8. ad Marc. 25. 1. sqq. loci quidam, quibus id quod desideramus in propatulo esse existimetur — quamquam eorum quae locis quos modo dixi de sede animarum mortuorum disseruit multa ficta magisque consolandi causa excogitata esse credo, quam quae ita se habere ipse auctor arbitrari videatur — tamen in epistulis non paucis nec non in consolationibus ipsis talia leguntur, quae in contrarium vel saltem ut eum dubitavisse censeamus nos impellunt; huc conferendi sunt loci hi:

ad Marc. 19. 5: *mors dolorum omnium et finis est ultra quam mala nostra non exeunt, quae nos in illam tranquillitatem in qua antequam nasceremur iacuimus reponit.*

epist. 102. 2: *iuvabat de aeternitate animarum quaerere, immo mehercules credere · praebebam enim ne facilem opinionibus magnorum virorum rem gratissimam promittentium magis quam probantium.*

epist. 63. 16: *et fortasse, si modo vera sapientium fama est recipitque nos locus aliquis, quem putamus perisse, praemissus est.*

Graviora etiam argumenta sunt haec: epist. 54. 4: *mors est non esse . id quale sit iam scio . hoc erit, quod ante me fuit.*

Accedit quod legimus ep. 77. 11: *non eris, nec fuisti.*

Hoc ultimo exemplo eo reducimur unde progressi sumus; nam eandem locutionem in titulis quoque inveniri supra vidimus. At tamen in universum tituli testes sunt ea, quae a philosophis et viris doctis de inferis et immortalitate animi sunt disputata, non magis lecta creditaque esse a plebe — atque quin titulorum plebeiorum numerus maximus sit nemo erit qui dubitet — illa aetate viventi quam nostris temporibus, quibus solummodo inter viros doctos eruditosque tales quaestiones explicantur. Itaque Zimmermanno plane assentior dicenti l. l. p. 28: Die weniger religiösen (cogitat de elocutionibus velut „si quid sapiunt manes“ conferas B. 180. B. 1555. B. 1177) oder irreligiösen Inschriften sind nicht zahlreich genug, um den Eindruck, den die Inschriften im allgemeinen auf uns machen, in etwas abzuschwächen, und dieser Eindruck ist der, dass das röm. Volk zur Kaiserzeit noch zum grössten Teil an dem alten überkommenen Glauben festhält. Nec aliter iudicat Friedländerus III[6] pg. 579: Immerhin mag ein beträchtlicher Teil der religiösen Betrachtungen, wie wir sie auf den Inschriften finden, äusserlicher Anbequemung an die Formen des herrschenden Cultus, gedankenloser Gewohnheit, bewusster Heuchelei seinen Ursprung verdanken: in überwiegender Mehrzahl aber sind diese Steine ebensoviele unverdächtige Zeugnisse eines aufrichtigen, naiven und innigen Glaubens.

Sed, ne longius aberremus, ad rem redeamus; itaque vocem *mori* devitandi causa etiam tales adhibentur locutiones

velut *de luce serena rapi*, quod occurrit B. 556: *rapta est de luce serena;* sive *luce privari*[1]); conferas B. 516, ubi legimus: *luce privata misera quiescit in marmore clusa.*

Simile est *lumen reddere,* quod alio in epigrammate sepulcrali legitur: *decumo anno lucem reddidi* B. 93. item C. I. L. VI 5817: *lumen quod accepi reddidi.* Eodem sensu vocabulo *lumen* iam Plautus utitur scribens Cist. 642: *ecquid agis? remorare? lumen linque,* quocum compares quae apud Homerum leguntur Il. 18. 11:

Μυρμιδόνων τὸν ἄριστον, ἔτι ζώοντος ἐμεῖο,
χερσὶν ὕπο Τρώων λείψειν φάος ἠελίοιο.

Contraria vox, ut hoc obiter adnotem, est *reddere luci.*

Conferas B. 98: *quam si qua pietas insitast caelestibus, viventi ingenio, soli et luci reddite.*

Addas quaeso Lucr. I 227 ubi legimus: *unde animale genus generatim in lumina vitae redducit Venus;*

similiter Senec. epist. 36. 10: *veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies.*

Denique huc conferenda sunt verba amitti et efferri; quibus de verbis, quoniam significatio per se satis patet, disputare non opus est. Itaque nonnulla exempla afferre satis sit; verbum *amitti* ipsum non nisi duobus locis inveni:

Tacit. Agric. 45: *Agricola nobis ante quadriennium amissus est;* item B. 193: *amissa est coniunx, cur ego et ipse moror.*

Contra *amissus* participium pro *mortuus* eo frequentius occurrere velut in unaquaque fere pagina epigrammatum sepulcralium adnotare satis habeo. Similiter *amittere* activa forma pro *morte amittere* usurpari exemplis affirmetur his:

---

1) Oppositum est *luce frui* (= *ὁρᾶν φάος ἠελίοιο*) B. 473: *raptus ego superis patribusque ablatus inique, cum frui debueram aetate florida luce.*

Senec. ad Marc. 9. 5: *ille amisit liberos.*

Tacit. Agric. 6: *filium ante sublatum brevi amisit;* et saepius.

Tum quod ad *efferri* vocem attinet, hoc verbum ea significatione, quam desideramus, tantum semel occurrit, si recte vidi; Plautus enim Asin. 614 locutus est sic: *utinam sic efferamur* (Philaenium in amplexu Argyrippi mori cupit); alterum exemplum mihi praesto non est, sed similia habeo, quae addam; nam Senecam *efferre* simili ratione ac *morte amittere* adhibentem observavi; exemplo sint:

Senec. ad Helv. II. 5: *carissimum virum, ex qua mater trium liberorum eras, extulisti;* item ad Marc. XIII 3: *duos filios extulit;* eadem oratione usus est epist. 63. 11: *quem amabas extulisti.* Addas etiam quod legitur in Probi appendice p. 200: *orbum qui suos extulerit signifat.*

Restat ut locutionibus adhuc tractatis etiam nonnullas alias adnectam, quibus substantivo *vita* addito notio *mori* constituatur. Qua in re non a me exspectabitur, ut quot exstent enumerem, sed tantum quattuor proferam, quae propterea quod rarius occurrunt, commemoratu non indignae mihi visae sunt.

Ac primum quidem dico locutionem *vitam exuere,* quae invenitur B. 1447: *exuit occumbens oneroso corpore vitam.* Quod unum exemplum inveni, sed plura similia habeo quae addantur; legitur enim apud Senecam ep. 24. 18:

mors nos aut consumit aut exuit.

Fortasse elocutionem *vitam exuere* Senecae ex verbis manavisse censeas; fieri potuit; sed tamen verisimile non puto. Nam *exuendi* tropum de abstractis dictum usitatissimum esse docent exempla quae infra textum[1]) allata habeo.

Ad tropum *exuendi* referenda esse mihi videtur haec quoque locutio

vitam ponere

---

1) Vergilius enim dicit Georg. II 51 ubi eum de arborum silvestrium natura disputantem videmus:

exuere silvestrem animum.

plebei sine dubio sermonis; nam Plautus volgaris sermonis patronus praeivit scribens Curc. 536: *vitam propera ponere;* redit haec vox apud Corn. Nepotem, cuius scilicet dicendi rationem multis in rebus plebei sermonis indicia prae se ferre constat; locus est hic, Paus. 55: *eodem loco sepultus est, ubi vitam posuerat;* eadem oratione usus est Propertius quoque III 16. 3: *non potuit saxo vitam posuisse Cerauno?* Non dubito hac in re novum argumentum conspicere ad confirmandum interdum locutiones antiquitatem sapientes adhibere adamavisse Propertium; alia exempla sunt: *ocelli* pro oculi, *corolla* pro corona.

Tertium exemplum addam *vitam claudere,* quod legitur B. 1440: *clausisti subito vitam.*

Cui voci contraria intellegi potest *vitam inire,* quae invenitur apud Lucr. III 679: *vitae cum limen inimus.* Similiter dixit Statius *ortus inire,* quod exstat silv. II 2. 217:

illos implacido letalis Sirius igne
hos manet imbrifero pallens autumnus hiatu,
quidquid init ortus finem timet.

Item locutus est Aen. IV 319: *exue mentem*; conferas etiam Ovid. a. a. III 47:

anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas;

addas Tib. I 435: *serpens novus exuit annos.*

Tum apud Ovid. met. 14. 777 legimus:

Tarpeia . . . dignam animam poena congestis exuit armis.

Eadem fere oratione utitur Stat. Theb. 10. v. 938:

sed membra virum terrena relinquunt exuiturque animus.

Neque aliter graecas voces *ἐκδύομαι* et *ἐνδύομαι* usurpatas esse exemplis demonstratur his:

Paul. epist. Ephes. IV 22—24:

ἐδιδάχθητε . . . ἐνδύσασθαι τὸν καινὸν ἄνθρωπον τὸν κατὰ θεὸν κτισθέντα . . .

item Col. 3. 10:

μὴ ψεύδεσθε εἰς ἀλλήλους, ἀπεκδυσάμενοι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον σὺν ταῖς πράξεσιν αὐτοῦ, καὶ ἐνδυσάμενοι τον νεὸν.

Claudat agmen vox *funera dare*, quae vice *mori* verbi fungitur in titulo B. 977:

quod subito ante oculos funera acerba dedi.

Denique ad vocabulum *funus* quod attinet, quam varia sit huius substantivi significatio, immo *funus* vice *mors* notionis saepissime usurpari vel pluraliter vel singulariter adhibitum, exemplis confirmare supersedeo; qua de re optime disputavit Duentzerus in Kuhni comment. tom. XI p. 254 sqq.

III.
Voces poeticae vel tropi.

Iam gratior quidem, sed longe difficilior quam de adhuc allatis quaestio de vocibus poetico colore tinctis oritur; dico tropos, quos miramur. Et congestos esse hos tropos et in quendam ordinem redactos ab Ottone Keller[1]) non ignoro. Sed tamen ne collectionem meam cum ea quam praebet Otto Keller comparanti inanem laborem suscepisse videar non vereor. Neque enim hanc rem dum retracto, quoniam similes sive iidem tropi observari possunt in Graecorum, in nostris, in uniuscumque populi litteris, ad haec omnia animum intendam exemplaque comparandi causa proferam; sed Romanorum tropos accuratissime quam potui commentatione addita in uno conspectu ponere hoc loco satis sit.

Romanorum scilicet tropi ut cum tropis apud alios populos adhibitis comparentur huiusmodi collectiones necessariae erunt, quippe quae non pauca afferant ad troporum historiam.[2])

Primo quidem loco eum tropum ponam, cuius sententia aptissime exprimitur pronuntiatione hac:

vita = migratio.

Qui tropus primum vocibus plenioribus subest velut: *proficisci e vita, migrare ex vita sive de vita;* exemplo sint:

---

1) l. l. p. 69 sqq.

2) Fundamentum huius disciplinae posuit Brinkmann in libro, quem inscripsit: Die Metaphern. Studien über den Geist der modernen Sprachen. Bonnae 1878.

Varro. r. r. I 1. 1: annus enim octogesimus admonet me ut sarcinas conligam, antequam proficiscar e vita.

Cic. de rep. VI 9: antequam ex hac vita migro.

Cic. fin. I 62: sapiens non dubitat, si ita melius est, migrare de vita.

Colore paulo mutato hoc tropo utitur Seneca, qui in consol. ad Polyb. IX 6 vitam comparat cum itinere in procelloso mari; leguntur l. l. haec: *omnis vita supplicium est; in hoc profundum inquietumque proiecti mare . . . .; pendemus et fluctuamur et alter in alterum inlidimur et aliquando naufragium facimus, semper timemus. In hoc tam procelloso et in omnes tempestates exposito mari navigantibus*[1]) *nullus portus nisi mortis est.* Huius vero tropi, de quo nunc accuratius disputaturus sum, ad originem quod attinet, quibus temporibus ortus vel primum adhibitus sit definire difficillimum est, neque unquam id fortasse poterit erui; sed hoc pro certo affirmari possit Romanos non plus quam Graecos, quorum in litteris hic quoque tropus exemplis non paucis exstat,[2]) primos usos esse

---

1) Pulcherrima illustratio huius loci naves illae sunt in anaglyphis antiquis sepulcralibus nonnumquam obviae ut in lapide christiano apud Fickerum: Die altchristlichen Bildwerke im Museum des Laterans N. 208 et in sepulcro Pompeiano (id Birtius mecum communicavit), de quo conferas Overbeck-Mau: Pompeji p. 415.

2) Nonnulla ex Sophoclis fabulis hoc loco addantur: inspicias
Oed. tyr. 959: *εὖ ἴσθ' ἐκεῖνον θανάσιμον βεβηκότα.*
Oed. Col. 1679: *βέβηκεν;*
El. 145: *νήπιος ὃς τῶν οἰκτρῶς*
οἰχομένων γονέων ἐπιλάθεται.
El. 809: *ἀποσπάσας* (sc. Orestes) *γὰρ τῆς ἐμῆς οἴχῃ φρενὸς . . .*
ἐλπίδας
Electr. 1151 sqq.: *πάντα γὰρ συναρπάσας* (sc. Orestes) *θύελλ' ὅπως βέβηκας. οἴχεται πατήρ· τέθρηκ' ἐγώ σοι·*
Ai. 690: *ἐγὼ γὰρ εἶμ' ἐκεῖσ' ὅποι πορευτέον.*
Ai. 1127: *θεὸς γὰρ ἐκσώζει με, τῷδε δ' οἴχομαι.* et saepius cfr. Ai. 972, Phil. 494, Trach. 875.

hoc tropo, nec magnopere errabimus eum non recentioris esse aetatis si statuamus quam linguam humanam excultam. Nam quin illud *πάντα ῥεῖ* id est omnia aut animata aut inanimata moventur — haec enim opinio subest verbis *ire, perire, interire, cedere, decedere* pro *mori* dictis — etiam alii senserint priusquam Graecus ille philosophus hanc doctrinam sua formula expressit, dubium esse non potest. Iam vero ut conspectum vocum, quae huc referendae sunt, praebeamus, duae sunt verborum stirpes, quibus notio *mori* metaphorice exprimitur; dico verba

ire et cedere.

Ac primum locum obtineant eae voces, quarum in compositione *ire* inest, quo notio moriendi maxime continetur. Quin etiam verbum simplex aliquoties pro *mori* usurpari his illustretur exemplis:

Lucr. III 524: denique saepe hominem paulatim cernimus ire.

Catull. III 10: qui nunc it per iter . . . .

Senec. ep. 30. 11: vita enim cum exceptione mortis datur; ad hanc itur.

Senec. ep. 77. 12: eo ibis, quo omnia eunt.

Stat. silv. 2. 217 sqq.: quidquid init ortus, finem timet; ibimus omnes.

ibimus: immensis urnam quatit Aeacus ulnis.

C. I. L. VIII 1966: M. For[tu]nata ibam e vivi[s].

Nec aliter utitur Seneca *iter* substantivo dicens ad

Marc. XXIII 1: facillimum ad superos[1]) iter est animis cito ab humana conversatione dimissis.

1) Hic paulo sistamus; nam locutio *iter ad superos* commentario indigeat. Et primum quidem similia afferam; legimus enim ad Marc. 25: *deinde ad excelsa sublatus* (sc. animus vel anima) *inter felices currit animas;* et ibidem *in summo locatus animus est.* Quaenam doctrina his locutionibus subsit si iam quaerimus auxilio venit Tert. an. 54 qui tradit: *Stoicos animas in supernis mansionibus collocare.* Tum Seneca docet animas in his supernis mansionibus purgationis causa commorari; sic enim eum dicentem audimus ad Marc. 25: *animus*

Nunc ad composita transgressurus primum profero

obire.

Hoc in verbo tractando, quoniam obire et absolute et addito aliquo substantivo idem ac *mori* significare constat, praemittendum est hoc loco non nisi de plenioribus formis et infra demum alio in rerum conexu de *obire* per se usurpato me esse expositurum. Inveniuntur pleniores formae hae:

a) *mortem obire,* quae est antiquissima harum formularum; legitur enim iam apud Plaut. in Aul. prol. 16: *ubi is mortem obiit;* cfr. etiam Ter. Heaut. 271; Phorm. 1019; Andr. 222; qui usus deinde per totam latinitatem est propagatus.

Lucretium etiam formam *letum obire* adhibentem vidi V 1420:

ut letum insidiis qui gessit primus obiret.

Praeter *mors* alia substantiva accedunt haec:

dies, dies suus, dies supremus.

b) *diem obire:*

Plaut. Men. prol. 62: *eundem heredem fecit, quom ipse obiit diem*; ibid. Poen. prol. 71; Cist. 613; Aul. prol. 20.

Eadem oratio invenitur locis his:

Corn. Nep. Dion. 10. 3; Suet. Tib. 4; B. 1521.

Causam autem cur pro mors *dies* supponatur Otto Keller [1]) optime demonstravit, qui hac in re, ut eius verbis utar, ein sprachliches Mittel zur Erzeugung des Euphemismus [2])

---

totus excessit paulumque supra nos commoratus dum expurgatur... Sed ne credas Stoicos primos hanc opinionem propagavisse provoco ad Maassii commentationes, qui vir doctissimus in libro, quem *Orpheus* inscripsit, eam ex Orphica religione fluxisse optime exposuit; cuius sententiam nuperrime amplexus est E. Norden in commentario ad Verg. lib. VI vers. 887, ubi eum de voce *aeris campi* verba facientem observamus; in prol. p. 23 sqq.

1) l. l. p. 70.

2) Hac in re certe positum est, quod Plautus omnibus in fabulis formam *mortem obire* non nisi semel adhibuit (vid. Aul. prol. v. 16).

agnoscendum esse dixit; notio mortis aut omnino omittitur — exemplum est *diem obire* — aut caute circumscribitur ita ut modo *dies suus* modo *dies supremus* ponatur.

c) *diem suum obire:*

Plaut. Poen. v. 1070: *quom suum obiit diem.*

Quod unum exemplum ex Plauto afferendum habeo, neque decem ex totis Romanorum litteris te investigaturum esse credo, quamvis studiose contendas; mihi tantum quinque praesto sunt, quorum tres Birtio debeo, qui hac de voce egit in progr. univ. Marp. 1888 p. XVII. Volgaris sine dubio locutionis est *diem suum obire,* quod etiam ex eo velim cognoscas, quod Plautus — exemplum modo attuli — plebei sermonis patronus venerabilis — sic enim l. l. Birtius dicit — hac voce primus usus est; affine quamvis non idem est nostrum „sein Stündchen hat geschlagen“. Sed ne praetermittam ceteros locos, quibus redit haec vox, proferentur hi:

Front. epist. ad Ant. Pium p. 167 Nab.: *Niger Censorius diem suum obiit.*

nec aliter scripsit Pomponius in enchiridio Dig. I 2. 2. 52;

item Gellius VI (VII) 8. 6: *ubi puer delphineromenus morbo adfectus obit suum diem;*

tum Senec. Apocol. I 1: *ex quo suum diem obiit ille;*

addam etiam Cic. fam. IV 12: *in quibus* (sc. codicillis) *erat scriptum paulo ante lucem Marcellum diem suum obiisse.*

Denique forma

d) *diem supremum obire* occurrit, quam locutionem primus Corn. Nepos usurpavisse videtur;

conferas Milt. 7. 6: *in vincla coniectus est ibique diem obiit supremum;* ibid. Dion 2. 5; de reg. 1. 3 et saepissime in titulis.

Quaestione hactenus perducta locutiones, de quibus adhuc est disputatum, animo iterum si percurrimus rationem ad illas post mortem condiciones his vocibus omnino deesse plane apparet.

Aliter vero res se habet de verbo

abire,

de quo nunc agemus. Nam ut *abire* proprie est in *alium locum migrare,* sic etiam homo, qui mortuus abiit, non perit aut evanuit, sed tantum in novum domicilium permigrat. Enimvero num vox pulchrior et subtilior arcessi potuit in auxilium eorum, qui quales sint opiniones Romanorum de condicionibus post mortem reputant? Quae dixi ut paucis exponam, tibi in memoriam revoces velim veteres et praecipue plebem res infernas plane ex imitatione vitae humanae ipsius sibi finxisse ita ut mortuos in Orco vita quasi nova frui crediderint nec multo aliter atque in terra ipsa; sic enim Plautum dicentem audimus de coquo quodam astuto in Pseud. v. 793:

> *quem ob eam rem* (sc. ob astutiam) *Orcus recipere ad se noluit, ut esset hic qui mortuis cenam coquat.*

Porro honores qui mortuis tribuuntur — subit me parentaliorum recordatio, de quibus copiose disseruit Ovid. Fast. II v. 533—68 — nonne argumenti sunt ad opinionem mortuos in sepulcro viventes vel habitantes esse existimatos probandam? Homines quidem mortui abeunt e vita, sed redeunt manes, qui quamvis sepulcro inclusi tamen sensu atque mente sunt praediti, si illud *salve* aut *sit tibi terra levis* et titulorum numerus permagnus, quibus mortui cum luce fruentibus colloquentes inducuntur, huius rei argumenta proponi possunt. Quae omnia cum consideraverimus tum demum quam eleganter vox *abire* pro *mori* sit arcessita intellegemus; et facere non possumus quin Plautum optime hanc vocem interpretatum esse censeamus Cas. prol. 17, ubi eos, qui e vita abierunt, non mortuos sed absentes dicit: legimus enim l. l.

> *ea tempestate flos poetarum fuit, qui nunc abierunt in communem locum: sed tamen absentes prosunt pro praesentibus.*

Verum non semper et minime Plauti aetate *abire* absolute occurrit; interdum enim additur

a) unde homines abeunt velut

abire e vita: Cic. Tusc. I. 30: *Cato autem sic abit e vita.*

sive *vita abire;* inspicias Senec. de brevit. vitae VII 4: *plures tamen ex his nondum se scire confessi vita abierunt.*

b) quo homines abeunt; exemplo sint:

abire in communem locum: Plaut. Cas. prol. 17.

abire ad Acheruntem: Plaut. Poen. prol. v. 71.

abire sub umbras: B. 1214.

abire ad plures: Petron. c. 42; ubi legimus:

et quid si non abstinax fuisset? quinque dies aquam in os suum non coniecit, non micam panis, tamen abiit ad plures.[1])

Iam vero *abire* etiam absolute adhiberi demonstrabo. Ac primus quidem inter latinos scriptores hanc vocem Lucilius

1) Hic paulo aberrare mihi liceat; nam insolens vocabulum *plures* vetat me ultra progredi. Ac primum quidem expedit adnotare iam Graecos hanc vocem eodem sensu adhibuisse. Ad hoc exempla congessit Birtius in commentatione, quae edita est in Archiv für Lexik. u. Gram. tom XI sub voce Arvallied; quorum unum proferam Arist. Eccl. 1073: *γραῦς ἀνεστηκυῖα παρὰ τῶν πλειόνων.* Redit haec vox apud Plaut. Trin. v. 292: *quia ego ad hoc genus duravi. quin prius me ad plures penetravi? nam hi maiores laudant.* Nunc fortasse dixerit quispiam, quoniam *plures* graecae voci *πλέονες* respondet, Plautum hoc vocabulum ex Philemonis exemplo in usum suum convertisse; non impugno; attamen hoc obliviscendum non est — atque hac in re Birtium sequor — Plautum hanc vocem satis inusitatam non mutuaturum fuisse nisi Romanos lectores sensum percipientes cognovisset. Quod ut fidenter credam eiusdem Birti auctoritate commoveor, qui l. l. *plures* eodem sensu iam in Arvalium fratrum carmine occurrere optime demonstravit. Locus est hic:

ne vél vervé Marmar sins incurrere in pleóres
satúr fu fere Mars, limén salí, sta berber.

Quem adhuc dubium locum sagacissime interpretatus est Birtius *incurrere in pleores* nihil aliud atque illud Plautinum *penetrare ad plures* significare statuens, neque adnotare omittam quomodo ille doctissimus vir hac interpretatione nisus locum circumscripserit:

ne ver, o Mars, sinas incurrere in plures.
Satur es, fere Mars. Aqua, sali, consiste ver.

usurpavisse videtur; locum affert Nonius grammaticus p. 35. 9: *insperato abiit; quem una angina sustulit hora* (Luc. frg. ed. Marx v. 1093).

Tum *abire* in scripta consolatoria migravit; conferas:

Cons. ad Liv. 237: *auctor abit operis, sed tamen exstat opus.*

B. 1282: *Aelia Saturnia abiit uno insuper anno;*

B. 1090: *hic Clodia cara cunctis iustisque piisque est sita et subito tempore rapta abiit*

et saepius velut B. 1215; B. 1438; Senec. epist. 30. 4.

Hoc quoque loco te cognoscere velim Seneca, quippe qui sit quam ornatissime dicendi magister, quomodo abeundi notionem poetice variaverit; nam si eum audimus, vita scena est, in quam homines nascentes intrant undeque abeunt morientes; dicit enim ad Marc. X 1: *collaticiis et ad dominos redituris instrumentis scena* (sc. vita) *adornatur;* et epist. 77. 20 eum vitam cum fabula comparantem vidimus; leguntur l. l. haec: *quomodo fabula, sic vita. non quam diu, sed quam bene acta sit, refert. nihil ad rem pertinet, quo loco desines; tantum bonam clausulam impone,* et ibid. 77. 4: *vita non est imperfecta, si honesta est; ubicumque desines, si bene desines, tota est.* Neque adnotare omittam quae apud Suet. Aug. 99 leguntur: *et admissos amicos percontatus, ecquid iis videretur mimum vitae commode transegisse, adiecit clausulam* eqs.

Verum humanam vitam per se ad comparationem cum histrionis partibus invitare plane apparet mirumque admodum esset, nisi veteres hanc in comparationem incidissent. Enimvero iam Ciceronem[1]) scribentem observamus sic, de senect. cap. 19: *quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet esse contentus; neque enim histrioni, ut placeat, peragenda fabula est, modo in quocumque fuerit actu, probetur, neque sapienti usque ad 'plaudite' veniundum est.*

---

1) Locos quos ex Seneca et Cicerone attuli iam Hense in comparationem vocavit; cfr. Hense in proleg. ad Tel. reliqu. p. XCVIII.

Attamen non obliviscendum est neque Senecam neque Ciceronem hac comparatione primos usos esse; nam Bion philosophus cynicus praeivit cuius doctrinam dicendique genus novimus exiguis ex Teletis, qui fuit Bionis pediseguus, reliquiis ab Ottone Hense editis (Friburgi i. Br. 1889).

Legimus enim Tel. p. 3. 2:

Δεῖ ὥσπρ τὸν ἀγαθὸν ὑποκριτὴν ὅτι ἂν ὁ ποιητὴς περιθῇ πρόσωπον τοῦτο ἀγωνίζεσθαι καλῶς, οὕτω καὶ τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα ὅτι ἂν περιθῇ ἡ τύχη. καὶ γὰρ αὕτη, φησὶν ὁ Βίων, ὥσπερ ποιήτρια, ὁτὲ μὲν πρωτολόγου, ὁτὲ δὲ δευτερολόγου περιτίθησι πρόσωπον, καὶ ὁτὲ μὲν βασιλέως, ὁτὲ δὲ ἀλήτου.

et ibidem p. 40. 2:

ἡ τύχη ὥσπερ ποιήτριά τις οὖσα παντοδαπὰ ποιεῖ πρόσωπα .... δεῖ οὖν τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα πᾶν ὅ τι ἂν αὕτη περιθῇ καλῶς ἀγωνίζεσθαι.

Quibus ex locis apparet quam facilis ab histrionis partibus transitus fuerit ad vitae cum fabula comparationem, nec ulli quin orationes Senecae et Ciceronis colore Bioneo tinctae sint dubium erit. Hoc excursu facto pergamus ad vocabulum

exire

pro mori dictum.

Plenior scilicet vetustiorque forma est *exire de vita* sive *e vita; exire de vita* dixit Cic. Lael. 15. Ad formam *exire e vita* compares Cic. de fin. I. 49; Tusc. I. 118 et saepius. Tropus hic domo exeuntes respicit, nec siquis exire vocem cum *efferri* pro *mori* dicto concinere affirmet obsistam; nam Ciceronem Cat. maior cap. 23 disserentem audimus sic: *ex vita ita discedo* — discedere idem est atque exire — *tamquam ex hospitio, non tamquam ex domo; commorandi enim natura deversorium dedit, non habitandi.*

Cui locutioni *ex deversorio exire* similes sunt hae:

ex domicilio exire: Senec. ep. 70. 16: *nemo nostrum cogitat quandoque sibi ex hoc domicilio exeundum;*

ex mundo exire: Senec. ep. 93. 13: *in eum intravimus mundum, in quo his legibus vivitur . placet: pare . non placet: quacumque vis exi.*

ex contubernio exire: Senec. ep. 70. 17: *propone tibi quandoque hoc contubernio carendum; fortior eris ad necessitatem exeundi.*

Sed ut iterum ad Teletem iam supra commemoratum revertar, vocis *exire* significationem non sine probabilitate revocare videor ad Bionis orationem hanc:

Hense, Tel. reliqu. p. 10. 14:

καθάπερ καὶ ἐξ οἰκίας, φησὶν ὁ Βίων, ἐξοικιζόμεθα ὅταν τὸ ἐνοίκιον ὁ μισθώσας οὐ κομιζόμενος τὴν θύραν ἀφέλῃ, τὸν κέραμον ἀφέλῃ, τὸ φρέαρ ἐγκλείσῃ, οὕτω, φησί, καὶ ἐκ τοῦ σωματίου ἐξοικίζομαι, ὅταν ἡ μισθώσα φύσις τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀφαιρῆται τὰ ὦτα τὰς χεῖρας τοὺς πόδας. οὐχ ὑπομένω, ἀλλ' ὥσπερ ἐκ συμποσίου ἀπαλλάττομαι οὐδὲν δυσχεραίνων, οὕτω καὶ ἐκ τοῦ βίου . . . .

nam huius loci tenor et imprimis vox *ἐξοικίζομαι* (= *exeo*) tanta sunt similitudine, ut huic coniecturae nihil obstare credam. Sed Cicero et Seneca quomodo factum sit, ut Bionis verba respicere potuerint, hoc inquirere meum non est; adeantur de hac re cum Willamowitzi[1]) disputatio tum Ottonis Hense in Teletis reliquias prolegomena. Teletis reliquias etiam in dicendi genere haud paucis exemplis cum Senecae scribendi ratione consentire optime demonstravit H. Weber.[2])

Quae adhuc exposui magis minusve ad pleniorem formam *exire e vita* pertinebant; reliquum est, ut de *exire* absolute pro *mori* adhibito pauca addam. Ac primum id velim percipias *exire* voci nude positae quandam altiorem significationem inesse; haec vide exempla:

---

1) cfr. quaest. phil. vol IV p. 292 sqq.

2) H. Weber: de Senecae philosophi dicendi genere Bioneo, Marpurgi 1895.

Cic. Tusc. 74: . . . ne laetus ex his tenebris in lucem illam excesserit, sed tamquam a magistratu aut ab aliqua potestate legitima, sic a deo (sc. a deo in nobis dominante) evocatus atque emissus exierit.

Senec. ep. 36. 11: aequo animo debet rediturus exire.
„ „ 61. 2: paratus sum exire.
„ „ 68. 14: ut melior exeam . . .
„ „ 54. 7: quae est enim virtus cum eiciaris exire.
„ „ 70. 23: nihil obstat erumpere et exire cupienti.
„ „ 93. 9: nec hac spe, inquit, fortius exeo, quod patere mihi ad deos meos iter iudico;
item ep. 98. 16.

Quibus exemplis moralem subesse rationem voci *exire* satis apparet, et siquis pleniore locutione uti vellet, nunc non *exire e vita* illa sonaret, sed potius *exire e corpore,* id est se liberare a corpore tamquam a vinculo. Hac interpretatione proposita iam sentis quo tendam; nam *exire* hoc sensu praeditum ad Stoicam doctrinam spectare in propatulo est, neque casui tribuendum, quod *exire* hac significatione non nisi apud Senecam Stoicum philosophum et Ciceronem, qui quamvis non Stoicorum pedisequus sed tamen eorum doctrinis imbutus est, invenitur. Stoicorum enim secundum opinionem vita servitus[1]) est, quam ut effugiant *exire* docent, hinc illud *exire ad libertatem*, quod non raro cum ratione *voluntariam mortem sibi consciscere* concinit.

Itaque Stoici corporis vinculis vitaeque aerumnis se liberare cupiunt et mortem dolorem omnium exsolutionem laudant: sic enim Senecam Stoicum exclamantem audimus

---

1) conferas Sen. ad Marc. XIX 6: *excessit filius tuus terminos, intra quos servitur;* item ep. 77. 15: *nam vita, si moriendi* (eodem iure scribere potuit *exeundi*) *virtus abest, servitus est;* ibidem XX 3: *non est molestum servire, ubi si domini pertaesum est, licet uno gradu ad libertatem transire;* — hoc loco Seneca iterum pro transire *exire* scribere potuit —.

ad Marc. XX 1: *o ignaros malorum suorum, quibus non mors ut optimum inventum naturae laudatur.* Hac quoque in re positum est, quod de mortuis dicit ad Marc. XXII 4: *in integrum restituti* (sc. mortui), similiter ad Marc. XXV 3: *in melius mutati;* et ibid. XIX 6: *excepit illum* (sc. mortuum) *magna et aeterna pax . . . ibi consistit, unde nil eum pellat, ubi nihil terreat.*

Quae in antecedentibus de voce *exire* exposui lucri mihi esse videntur in reficiendo loco hoc. Nam in Claud. apocolocynt. cap. III legimus: *animam agere coepit Claudius, sed exitum invenire non potest;* ibi ad Clotho Mercurius: *quid . . . hominem miserum torqueri pateris? nec unquam tam diu cruciatus esset.*

Manifesto depravatum est *esset,* quod in libris exstat, nec desunt qui emendationes plus vel minus probabiles proposuerunt. Eleganter *exiet* Haasius; tamen parum tuto; nam secundum ea, quae supra exposui, *exire* habet granditatem quandam, quae omnino non quadrat ad huius loci colorem. Sed offendit quadam tenus etiam vocum *exitus* et *exire* geminatio (ita Birtius in program. univ. Marp. 1888 p. XI); quodsi verum est, non audeo tamen cum viro doctissimo *quiescet* scribere, quae locutio a Senecae usu magis aliena est, sed *desinet* legendum propono. Quam ad coniecturam compares locos hos:

Senec. ep. 65. 24: *nec desinere timeo, idem est enim quod non coepisse, nec transire, quia nusquam tam auguste ero.*

Senec. ep. 77. 4: *vita non est imperfecta, si honesta est; ubicumque desines, si bene desinis, tota est.*

Praeterea quod alii *cesset* maluerunt, hac de coniectura sane quam simplici, quam etiam in quarta Petronii editione a. 1904 Buechelerus admisit, nihil aliud dicere possum nisi *cessandi* verbum *moriendi* loco adhibitum mihi plane ignotum esse.

Ab *exire* omnino non differt verbum

transire,

quod significatione, quam desideramus, Seneca primus litteris inseruisse videtur; exemplo sint:

Senec. ad Marc. XX 3: non est molestum servire, ubi si domini pertaesum est, licet uno gradu ad libertatem transire.

Senec. ep. 65. 24: nec desinere timeo . . . nec transire, quia nusquam tam anguste ero.

Senec. ep. 93. 10: aeque magnum habeo animum, etiam si nusquam transiturus excedo.

Seneca his locis eodem iure *exire* ponere potuit.

Nunc vero, postquam de verbis disputavimus, de substantivis quid erui possit videamus. Ac primum quidem te cognoscere velim verbis *obire, abire, exire, transire* respondere totidem substantiva velut *obitus, abitus, exitus, transitus,* quae omnia in notionem *mors* abierunt substantivo *abitus* solummodo excepto. Ergo *abitus* ex disputatione eximendum; porro etiam de *obitus,* quoniam ad hanc vocem infra redibo, me disputaturum esse hoc loco noli exspectare. Reliquorum autem substantivorum vetustissimum usitatissimumque *exitus* primum locum obtineat.

Vocabulum **exitus** sive *vita* substantivo addito sive omisso mortem uniuscumque generis significat, qua de re nec minus propter usus frequentiam haec vox notioni *mors* proxime accedit. Exempla cum ubivis sint obvia, Plauti Terentique fabulis sane exceptis, haec satis habeo afferre:

exitus vitae: Nep. Eum. 13. 2: *sed Macedonum periurio talem habuit exitum vitae* (sc. Eumenes);

addas Suet. Claud. 43. 25: *sub exitu vitae.*

Multo autem saepius *exitus* absolute adhibetur; iam Ciceronem scribentem observamus nat. deor. III 89:

nonumquam bonos exitus habent boni;

item Nep. Phoc. 4. 3: *hunc enim exitum plerique viri habuerunt.*

Utuntur hac elocutione scriptores posteriores quoque velut

Senec. ep. 70. 14: *exspectandum esse exitum, quem natura decrevit;*

addas Plin. nat. hist. 8. 74. 3; Suet. Aug. 99; Caes. 35; Tib. 45.

Qui exemplorum numerus in immensum etiam augeretur, si Tacitinorum copiam afferrem.

Vocabulo *exitus* affine, id est ex eadem stirpe derivatum est *exitium,* neque aliud, quantum vidi, interest inter utramque vocem, nisi quod *exitium* maiorem vim habere videtur; praeterea *exitium* in antiquissimo thesauro latinitatis invenitur, *exitus* minus. Quod ut quam brevissime illustrem inspicias haec:

Plaut. Cist. 662: *satiust mihi quovis exitio interire;*

Plaut. Bacch. 1094: *omnia me mala consectantur, omnibus exitiis interii* — expedit adnotare duobus locis modo allatis *exitium* iuxta *interire,* quod ad vim pronuntiationis augendam adhiberi iam supra p. 16 demonstravi, certe non sine causa positum esse —;

Plaut. Aul. v. 275: *nunc nobis prope adest exitium* — positum est, ut vim exclamationis augeatur —; et saepius.

Itaque discrimen, quod exstat inter *exitium* et *exitus,* proportionis formula si quis demonstrare vellet, haec formari posset sic:

$$\frac{\text{exitus}}{\text{exitium}} = \frac{\text{perire}}{\text{interire}}.$$

Restat ut de substantivo **transitus** pauca addam; verum tamen in exemplis antecedentium vocum afferendis cum locis abundarem, nunc tantum unum habeo, quem addam; cfr. Senec. ep. 14. 24: *mors quid est? aut finis aut transitus.* Quem locum me repperisse gaudeo; nam vocabulum apud scriptores ecclesiasticos et in titulis christianis saepius occurrere cum constet, Senecam primum *transitus* eodem sensu adhibuisse quod sciamus iniucundum non esse potest.

Iam ad finem pervenimus in interpretandis vocibus ex stirpe *ire* formatis, nec ullam me neglexisse puto.

Eadem autem ratione atque *ire* stirps *cedere* — inest enim ipsi quoque tropus migrandi — tamquam alter fons evasit, ex qua totidem fere novae voces idem ac *mori* significantes fluxerunt. Primum ut *ire* verbum simplex ita etiam *cedere*

eodem sensu adhiberi exemplis demonstretur his. Cons. ad Liv. v. 75:

cedis et incassum tua nomina, Druse, levantur,
ultima sit fati haec summa querella tui.

Qui versus non aliter intellegi possunt atque ut Huebnerus [1]) eos intellegendos proposuit, qui vertit sic: Du bist dahin gegangen, vergebens erhoben wir den Ruf nach Dir; möge wenigstens nicht noch neue Klage folgen; nec aliter dicit Senec. ad Marc. XXI: *homines ad brevissimum tempus editi, cito cessuri* (sc. morituri); addas etiam Hor. II Od. 3 v. 19. Sed usitatissima vox vel, ut cautius dicam, una ex usitatissimis est

decedere.

Priusquam autem exempla huius usus proferam, quo tempore *decedere* in notionem moriendi abierit, expedit adnotare. Plautum hoc verbum non nisi propria significatione adhibuisse et Terentium demum *decedere* translate usurpantem animadverti optime demonstravit P. Langen.[2]) Addam ex Terentio exemplum hoc, Andr. 816:

de summa nihil decedet.

Sed magis, ut mihi videtur, ad notionem *mori* constituendam attulit id, quod legimus apud Catonem (p. 20. 11 Jordan)

Carthaginienses de foedere decessere . . .;

quam elocutionem non sine probabilitate imitatus Cicero postea *decedere de vita* formavit. cfr. Cic. pro Rab. 11:

qui iam de vita decesserunt.

Ciceronis igitur aetatis est vox *decedere de vita;* haec enim vetustior forma ferebatur.

Contra *decedere* absolute adhibitum ab Cicerone ignoratur, atque Corn. Nepos primus est, quantum ego vidi, qui ita scripsit. Inspicias:

---

1) cfr. Herm. vol. XIII. p. 224.

2) cfr. Petri Langen commentationem, quae inscribitur: Die Metapher im Lateinischen von Plaut. bis Terenz. Jahrb. f. Phil. 1883 p. 686 sqq.

Nep. Arist. 3. 2: in tanta paupertate decessit (sc. Aristides).
Nep. Agesil. 7: Agesilaus in morbum implicitus decessit.
Nep. Attic. 22. 4: pridie calendas Aprilis decessit (Atticus morbo *decessit*).

Decedere, ut elucet, non nisi mortem naturalem significat nec omnino differt propter pietatem magnificentiamque, quae inest, quoniam de honestioribus personis adhiberi solet, a nostra voce „entschlafen". Hac quoque in re positum est, quod *decedere* consolatorii poeseos generis proprium factum est. Exemplo sint: Senec. ad Marc. XI; XIX 4; XXI 4; XXIII 5; ad Polyb. IX 1; B. 113; B. 162; C. I. L. VI 9438, 5206, 21889, 5163; X 2381.[1])

Denique ad duo exempla animum dirigere non neglegam, quibus *decedere* de siderum occasu adhibetur; legimus enim Verg. Ecl. II 67: *et sol crescentis decedens duplicat umbras,* nec aliter dicit Gell. 20. 8. 7: *luna decedens.* Conferas etiam Plauti locum Merc. 874: *sol abiit.*

Quae exempla attuli propterea, quod non raro (accuratius in his infra versabor) homines et sidera contraponuntur. Sed haec hactenus. Cum *decedere* voce et significatione et usurpationis frequentia plane concinit

excedere.

Vetustior sermo, id quod in omnibus fere vocibus, quas adhuc attuli, animadvertitur, plenior est et magis perspicuus.

---

1) Hic obiter mihi adnotare liceat omnibus locis, quos modo indicavi, non nisi formam *decessit* occurrere; aliae formae rarissime tantum obviae fiunt. Infinitivo praesenti substantivo *mors* addito semel utitur
Corn. Nep. Timol. 1. 6: *atque ex ingratorum hominum conspectu decedere.*
Tum plusquamperfecti et perfecti sola afferre possum exempla haec:
Senec. ad Marc. III 1: *in expeditione decesserat.*
Suet. Aug. 101: *ante annum et quattuor menses quam decederet.*

Scilicet pleniores formae inveniuntur hae:

e vita excedere: Cic. Phil. XIII 41; off. I 153; Tusc. I 57; Lael. 12; de fin. III 61.

vita excedere: Cic. Tusc. I 29; nat. deor. III 41; Cic. Phil. II 12.

de vita excedere: Cic. fin. II 60.

Verum *excedere* absolute pro *mori* primus, si recte vidi, adhibuit Seneca. Exempla vide haec:

Senec. ep. 77. 10: tamen mollissime excessit.
ad Marc. XX 4: populi princeps excesserat.
item ad Marc. XXV 1; ep. 93. 10.

Hinc migravit in Taciti et Suetoni scripta.
cfr. Tacit. Agr. 44: excessit Agricola.
Tacit. ann. 1. 5. 33: excessisse Augustum adfertur.
Tacit. ann. 3. 19: paucos post dies Vispania excessit.
Suet. Aug. 5: Augustus excessit.
Suet. Ner. 6. 19: Tib. excessit.

Quibus exemplis allatis *excedere* non minus quam *decedere* vocem piam honestamque esse elucet; enimvero ut summam faciam ex iis, quae his de vocabulis observavi, inter utrumque verbum omnino nihil interest.

Sequantur **antecedere** et **praecedere** verba, quae tamen non nisi obiter tangam; exempla affero haec:

antecedere: plures me antecesserunt, omnes exspecto (Orelli inscr. 6042).

item B. 55. 17: antecessi leti diem.

praecedere obvium fit locis his:

B. 1567: ne doleas mei, quod praecessi;[1])
C. I. L. VI 9792: praecedere voluisti, sanctissima coniunx, ut me relinqueres in lacrimis;
B. 565: pater praecesserat olim —
B. 856: praecessitque prior Primitiva . . . .

---

1) Similiter nos dicimus: „in die Ewigkeit vorangehen“.

Claudat agmen locutio

fato concedere,

quod legitur Tacit. ann. II 71: si fato concederem iustus mihi dolor etiam adversus deos esset;
item Plin. Pan. 11: qui electo successore fato concessit.

Hic fortasse obiciat mihi aliquis vocem *fato concedere* huc referendam non esse, utpote cum tropus migrandi desideretur. Quod recte dictum esset, si locutio *fato concedere* cum voce *naturae concedere* conveniret; sed prorsus discrepant. Nam *fato* est ablativus non dativus. Quod ut credam, minus Nipperdei [1]) auctoritate, qui *fato* ablativum esse sibi quoque persuasit, quam comparata locutione *vita concedere* adducor, quae apud eundem Tacitum occurrit neque usquam alibi, si recte vidi; exempla addam haec:

Tac. ann. 1. 3.: Agrippa vita concessit;
Tac. ann. 3. 30: fine anni concessere vita insignes viri;
cfr. etiam ann. 14. 51; 6. 39; 12. 39.

Denique *concedere* pro *mori* usurpari nullo substantivo addito exemplis demonstratur his:

Tac. ann. 13. 30: at Volusius egregia fama concessit;
Tac. ann. 4. 38: cives precor, ut, quandoque concessero, ... cum laude famam nominis mei prosequantur.

Hoc verborum recensu peracto ad substantiva *decessus* sive *discessus* et *excessus* sermo procedit. Ad frequentiam harum vocum quod attinet, *decessus* ita raro occurrit, ut mihi non nisi exempla praesto sint haec:

Cic. de. amicit. 3. 10.: quod eo errore careo, quo amicorum decessu plerique angi solent;
B. 68: funus orn] avit pulchre, decessum [dolens].

Vocabulum *discessus* apposito *e vita* invenitur apud Cic. div. I 47: siquidem ad mortem proficiscens Callanus Indus „o praeclarum discessum inquit e vita“.

1) in comment. ad. Tacit. ann. 2. 71.

Sed multo frequentior est usus vocis *excessus*, qua et apposito *vitae* sive *e vita* et omisso iterum Cicero primus usus est; inspicias *excessus vitae* Cic. Tusc. I 27; *excessus e vita* Cic. fin. III 60; *excessus* absolute Cicero posuit rep. II 23, ubi legimus: *quantum tenuerat post obitum vel potius excessum Romuli desiderium.* Postea autem imprimisque postquam Tacitus illud *ab excessu divi Augusti* scripsit, usus huius vocabuli magis magisque propagatus est.

Cfr. Suet. Tib. 22; Tib. 70. Calig. 1. Calig. 48.

Reliquum est, ut nonnulla exempla addam, quibus ipsis quoque sicut reliquis migrandi notio subest; itaque iis, quae hoc in capite exposui, lucem quandam affundunt; dico locutiones:

B. 1041: . . . infernas tendere ad arces;
B. 640: . . . pergit ad occasus;
B. 1447: superas adire domos;
Verg. Aen. X 472: metasque dati pervenit ad aevi;
B. 610: sic Fortuna tibi dederat transcurrere vitam;
Senec. ad. Marc. XI 2: decucurrit ad finem.

Nec alia imago subest contrariae voci *revocare* sive pleniori formae *revocare ad vitam;* nam *abire, exire, decedere* si comparamus, significatio contrariae locutionis *revocare* per se apparebit.

cfr. Ovid. trist. V 9. 19: seminecem Stygia revocasti solus ab unda;
Plin. nat. hist. II 57: namque nec sibi potest (sc. deus) mortem consciscere, si velit, ... aut revocare defunctos;
Senec. ad Marc. XXII 7: iter mortis ingressus sum; revocare me nec debes nec potes;
Suet. Aug. 53: inedia mori destinantem praesens consolando revocavit ad vitam.

Animam efflare.

Iam ad eas voces transeamus, quae ad extremum anhelitum spectant. Hac autem in re, quoniam locutiones ipsae per se intelleguntur nec commentario indigent, id modo

ex mundo exire: Senec. ep. 93. 13: *in eum intravimus mundum, in quo his legibus vivitur . placet: pare . non placet: quacumque vis exi.*

ex contubernio exire: Senec. ep. 70. 17: *propone tibi quandoque hoc contubernio carendum; fortior eris ad necessitatem exeundi.*

Sed ut iterum ad Teletem iam supra commemoratum revertar, vocis *exire* significationem non sine probabilitate revocare videor ad Bionis orationem hanc:

Hense, Tel. reliqu. p. 10. 14:

καθάπερ καὶ ἐξ οἰκίας, φησὶν ὁ Βίων, ἐξοικιζόμεθα ὅταν τὸ ἐνοίκιον ὁ μισθώσας οὐ κομιζόμενος τὴν θύραν ἀφέλῃ, τὸν κέραμον ἀφέλῃ, τὸ φρέαρ ἐγκλείσῃ, οὕτω, φησί, καὶ ἐκ τοῦ σωματίου ἐξοικίζομαι, ὅταν ἡ μισθώσα φύσις τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀφαιρῆται τὰ ὦτα τὰς χεῖρας τοὺς πόδας. οὐχ ὑπομένω, ἀλλ' ὥσπερ ἐκ συμποσίου ἀπαλλάττομαι οὐδὲν δυσχεραίνων, οὕτω καὶ ἐκ τοῦ βίου . . . .

nam huius loci tenor et imprimis vox *ἐξοικίζομαι* (= *exeo*) tanta sunt similitudine, ut huic coniecturae nihil obstare credam. Sed Cicero et Seneca quomodo factum sit, ut Bionis verba respicere potuerint, hoc inquirere meum non est; adeantur de hac re cum Willamowitzi[1]) disputatio tum Ottonis Hense in Teletis reliquias prolegomena. Teletis reliquias etiam in dicendi genere haud paucis exemplis cum Senecae scribendi ratione consentire optime demonstravit H. Weber.[2])

Quae adhuc exposui magis minusve ad pleniorem formam *exire e vita* pertinebant; reliquum est, ut de *exire* absolute pro *mori* adhibito pauca addam. Ac primum id velim percipias *exire* voci nude positae quandam altiorem significationem inesse; haec vide exempla:

---

1) cfr. quaest. phil. vol IV p. 292 sqq.

2) H. Weber: de Senecae philosophi dicendi genere Bioneo, Marpurgi 1895.

Cic. Tusc. 74: . . . ne laetus ex his tenebris in lucem illam excesserit, sed tamquam a magistratu aut ab aliqua potestate legitima, sic a deo (sc. a deo in nobis dominante) evocatus atque emissus exierit.

Senec. ep. 36. 11: aequo animo debet rediturus exire.
„ „ 61. 2: paratus sum exire.
„ „ 68. 14: ut melior exeam . . .
„ „ 54. 7: quae est enim virtus cum eiciaris exire.
„ „ 70. 23: nihil obstat erumpere et exire cupienti.
„ „ 93. 9: nec hac spe, inquit, fortius exeo, quod patere mihi ad deos meos iter iudico;
item ep. 98. 16.

Quibus exemplis moralem subesse rationem voci *exire* satis apparet, et siquis pleniore locutione uti vellet, nunc non *exire e vita* illa sonaret, sed potius *exire e corpore,* id est se liberare a corpore tamquam a vinculo. Hac interpretatione proposita iam sentis quo tendam; nam *exire* hoc sensu praeditum ad Stoicam doctrinam spectare in propatulo est, neque casui tribuendum, quod *exire* hac significatione non nisi apud Senecam Stoicum philosophum et Ciceronem, qui quamvis non Stoicorum pedisequus sed tamen eorum doctrinis imbutus est, invenitur. Stoicorum enim secundum opinionem vita servitus[1]) est, quam ut effugiant *exire* docent, hinc illud *exire ad libertatem,* quod non raro cum ratione *voluntariam mortem sibi consciscere* concinit.

Itaque Stoici corporis vinculis vitaeque aerumnis se liberare cupiunt et mortem dolorem omnium exsolutionem laudant: sic enim Senecam Stoicum exclamantem audimus

1) conferas Sen. ad Marc. XIX 6: *excessit filius tuus terminos, intra quos servitur;* item ep. 77. 15: *nam vita, si moriendi* (eodem iure scribere potuit *exeundi*) *virtus abest, servitus est;* ibidem XX 3: *non est molestum servire, ubi si domini pertaesum est, licet uno gradu ad libertatem transire;* — hoc loco Seneca iterum pro transire *exire* scribere potuit —.

ad Marc. XX 1: *o ignaros malorum suorum, quibus non mors ut optimum inventum naturae laudatur.* Hac quoque in re positum est, quod de mortuis dicit ad Marc. XXII 4: *in integrum restituti* (sc. mortui), similiter ad Marc. XXV 3: *in melius mutati;* et ibid. XIX 6: *excepit illum* (sc. mortuum) *magna et aeterna pax . . . ibi consistit, unde nil eum pellat, ubi nihil terreat.*

Quae in antecedentibus de voce *exire* exposui lucri mihi esse videntur in reficiendo loco hoc. Nam in Claud. apocolocynt. cap. III legimus: *animam agere coepit Claudius, sed exitum invenire non potest;* ibi ad Clotho Mercurius: *quid . . . hominem miserum torqueri pateris? nec unquam tam diu cruciatus esset.*

Manifesto depravatum est *esset,* quod in libris exstat, nec desunt qui emendationes plus vel minus probabiles proposuerunt. Eleganter *exiet* Haasius; tamen parum tuto; nam secundum ea, quae supra exposui, *exire* habet granditatem quandam, quae omnino non quadrat ad huius loci colorem. Sed offendit quadam tenus etiam vocum *exitus* et *exire* geminatio (ita Birtius in program. univ. Marp. 1888 p. XI); quodsi verum est, non audeo tamen cum viro doctissimo *quiescet* scribere, quae locutio a Senecae usu magis aliena est, sed *desinet* legendum propono. Quam ad coniecturam compares locos hos:

Senec. ep. 65. 24: *nec desinere timeo, idem est enim quod non coepisse, nec transire, quia nusquam tam auguste ero.*

Senec. ep. 77. 4: *vita non est imperfecta, si honesta est; ubicumque desines, si bene desinis, tota est.*

Praeterea quod alii *cesset* maluerunt, hac de coniectura sane quam simplici, quam etiam in quarta Petronii editione a. 1904 Buechelerus admisit, nihil aliud dicere possum nisi *cessandi* verbum *moriendi* loco adhibitum mihi plane ignotum esse.

Ab *exire* omnino non differt verbum

transire,

quod significatione, quam desideramus, Seneca primus litteris inseruisse videtur; exemplo sint:

Senec. ad Marc. XX 3: non est molestum servire, ubi si domini pertaesum est, licet uno gradu ad libertatem transire.

Senec. ep. 65. 24: nec desinere timeo . . . nec transire, quia nusquam tam anguste ero.

Senec. ep. 93. 10: aeque magnum habeo animum, etiam si nusquam transiturus excedo.

Seneca his locis eodem iure *exire* ponere potuit.

Nunc vero, postquam de verbis disputavimus, de substantivis quid erui possit videamus. Ac primum quidem te cognoscere velim verbis *obire, abire, exire, transire* respondere totidem substantiva velut *obitus, abitus, exitus, transitus,* quae omnia in notionem *mors* abierunt substantivo *abitus* solummodo excepto. Ergo *abitus* ex disputatione eximendum; porro etiam de *obitus*, quoniam ad hanc vocem infra redibo, me disputaturum esse hoc loco noli exspectare. Reliquorum autem substantivorum vetustissimum usitatissimumque *exitus* primum locum obtineat.

Vocabulum **exitus** sive *vita* substantivo addito sive omisso mortem uniuscumque generis significat, qua de re nec minus propter usus frequentiam haec vox notioni *mors* proxime accedit. Exempla cum ubivis sint obvia, Plauti Terentique fabulis sane exceptis, haec satis habeo afferre:

exitus vitae: Nep. Eum. 13. 2: *sed Macedonum periurio talem habuit exitum vitae* (sc. Eumenes);

addas Suet. Claud. 43. 25: *sub exitu vitae.*

Multo autem saepius *exitus* absolute adhibetur; iam Ciceronem scribentem observamus nat. deor. III 89:

nonumquam bonos exitus habent boni;

item Nep. Phoc. 4. 3: *hunc enim exitum plerique viri habuerunt.*

Utuntur hac elocutione scriptores posteriores quoque velut

Senec. ep. 70. 14: *exspectandum esse exitum, quem natura decrevit;*

addas Plin. nat. hist. 8. 74. 3; Suet. Aug. 99; Caes. 35; Tib. 45.

Qui exemplorum numerus in immensum etiam augeretur, si Tacitinorum copiam afferrem.

Vocabulo *exitus* affine, id est ex eadem stirpe derivatum est *exitium*, neque aliud, quantum vidi, interest inter utramque vocem, nisi quod *exitium* maiorem vim habere videtur; praeterea *exitium* in antiquissimo thesauro latinitatis invenitur, *exitus* minus. Quod ut quam brevissime illustrem inspicias haec:

Plaut. Cist. 662: *satiust mihi quovis exitio interire;*

Plaut. Bacch. 1094: *omnia me mala consectantur, omnibus exitiis interii* — expedit adnotare duobus locis modo allatis *exitium* iuxta *interire,* quod ad vim pronuntiationis augendam adhiberi iam supra p. 16 demonstravi, certe non sine causa positum esse —;

Plaut. Aul. v. 275: *nunc nobis prope adest exitium* — positum est, ut vim exclamationis augeatur —; et saepius.

Itaque discrimen, quod exstat inter *exitium* et *exitus,* proportionis formula si quis demonstrare vellet, haec formari posset sic:

$$\frac{\text{exitus}}{\text{exitium}} = \frac{\text{perire}}{\text{interire}}.$$

Restat ut de substantivo **transitus** pauca addam; verum tamen in exemplis antecedentium vocum afferendis cum locis abundarem, nunc tantum unum habeo, quem addam; cfr. Senec. ep. 14. 24: *mors quid est? aut finis aut transitus.* Quem locum me repperisse gaudeo; nam vocabulum apud scriptores ecclesiasticos et in titulis christianis saepius occurrere cum constet, Senecam primum *transitus* eodem sensu adhibuisse quod sciamus iniucundum non esse potest.

Iam ad finem pervenimus in interpretandis vocibus ex stirpe *ire* formatis, nec ullam me neglexisse puto.

Eadem autem ratione atque *ire* stirps *cedere* — inest enim ipsi quoque tropus migrandi — tamquam alter fons evasit, ex qua totidem fere novae voces idem ac *mori* significantes fluxerunt. Primum ut *ire* verbum simplex ita etiam *cedere*

eodem sensu adhiberi exemplis demonstretur his. Cons. ad Liv. v. 75:

cedis et incassum tua nomina, Druse, levantur,
ultima sit fati haec summa querella tui.

Qui versus non aliter intellegi possunt atque ut Huebnerus[1]) eos intellegendos proposuit, qui vertit sic: Du bist dahin gegangen, vergebens erhoben wir den Ruf nach Dir; möge wenigstens nicht noch neue Klage folgen; nec aliter dicit Senec. ad Marc. XXI: *homines ad brevissimum tempus editi, cito cessuri* (sc. morituri); addas etiam Hor. II Od. 3 v. 19. Sed usitatissima vox vel, ut cautius dicam, una ex usitatissimis est

decedere.

Priusquam autem exempla huius usus proferam, quo tempore *decedere* in notionem moriendi abierit, expedit adnotare. Plautum hoc verbum non nisi propria significatione adhibuisse et Terentium demum *decedere* translate usurpantem animadverti optime demonstravit P. Langen.[2]) Addam ex Terentio exemplum hoc, Andr. 816:

de summa nihil decedet.

Sed magis, ut mihi videtur, ad notionem *mori* constituendam attulit id, quod legimus apud Catonem (p. 20. 11 Jordan)

Carthaginienses de foedere decessere . . .;

quam elocutionem non sine probabilitate imitatus Cicero postea *decedere de vita* formavit. cfr. Cic. pro Rab. 11:

qui iam de vita decesserunt.

Ciceronis igitur aetatis est vox *decedere de vita;* haec enim vetustior forma ferebatur.

Contra *decedere* absolute adhibitum ab Cicerone ignoratur, atque Corn. Nepos primus est, quantum ego vidi, qui ita scripsit. Inspicias:

---

1) cfr. Herm. vol. XIII. p. 224.

2) cfr. Petri Langen commentationem, quae inscribitur: Die Metapher im Lateinischen von Plaut. bis Terenz. Jahrb. f. Phil. 1883 p. 686 sqq.

Nep. Arist. 3. 2: in tanta paupertate decessit (sc. Aristides).

Nep. Agesil. 7: Agesilaus in morbum implicitus decessit.

Nep. Attic. 22. 4: pridie calendas Aprilis decessit (Atticus morbo *decessit*).

Decedere, ut elucet, non nisi mortem naturalem significat nec omnino differt propter pietatem magnificentiamque, quae inest, quoniam de honestioribus personis adhiberi solet, a nostra voce „entschlafen". Hac quoque in re positum est, quod *decedere* consolatorii poeseos generis proprium factum est. Exemplo sint: Senec. ad Marc. XI; XIX 4; XXI 4; XXIII 5; ad Polyb. IX 1; B. 113; B. 162; C. I. L. VI 9438, 5206, 21889, 5163; X 2381.[1])

Denique ad duo exempla animum dirigere non neglegam, quibus *decedere* de siderum occasu adhibetur; legimus enim Verg. Ecl. II 67: *et sol crescentis decedens duplicat umbras,* nec aliter dicit Gell. 20. 8. 7: *luna decedens.* Conferas etiam Plauti locum Merc. 874: *sol abiit.*

Quae exempla attuli propterea, quod non raro (accuratius in his infra versabor) homines et sidera contraponuntur. Sed haec hactenus. Cum *decedere* voce et significatione et usurpationis frequentia plane concinit

excedere.

Vetustior sermo, id quod in omnibus fere vocibus, quas adhuc attuli, animadvertitur, plenior est et magis perspicuus.

---

1) Hic obiter mihi adnotare liceat omnibus locis, quos modo indicavi, non nisi formam *decessit* occurrere; aliae formae rarissime tantum obviae fiunt. Infinitivo praesenti substantivo *mors* addito semel utitur

Corn. Nep. Timol. 1. 6: *atque ex ingratorum hominum conspectu decedere.*

Tum plusquamperfecti et perfecti sola afferre possum exempla haec:

Senec. ad Marc. III 1: *in expeditione decesserat.*

Suet. Aug. 101: *ante annum et quattuor menses quam decederet.*

Scilicet pleniores formae inveniuntur hae:

e vita excedere: Cic. Phil. XIII 41; off. I 153; Tusc. I 57; Lael. 12; de fin. III 61.

vita excedere: Cic. Tusc. I 29; nat. deor. III 41; Cic. Phil. II 12.

de vita excedere: Cic. fin. II 60.

Verum *excedere* absolute pro *mori* primus, si recte vidi, adhibuit Seneca. Exempla vide haec:

Senec. ep. 77. 10: tamen mollissime excessit.
ad Marc. XX 4: populi princeps excesserat.
item ad Marc. XXV 1; ep. 93. 10.

Hinc migravit in Taciti et Suetoni scripta.

cfr. Tacit. Agr. 44: excessit Agricola.
Tacit. ann. 1. 5. 33: excessisse Augustum adfertur.
Tacit. ann. 3. 19: paucos post dies Vispania excessit.
Suet. Aug. 5: Augustus excessit.
Suet. Ner. 6. 19: Tib. excessit.

Quibus exemplis allatis *excedere* non minus quam *decedere* vocem piam honestamque esse elucet; enimvero ut summam faciam ex iis, quae his de vocabulis observavi, inter utrumque verbum omnino nihil interest.

Sequantur **antecedere** et **praecedere** verba, quae tamen non nisi obiter tangam; exempla affero haec:

antecedere: plures me antecesserunt, omnes exspecto (Orelli inscr. 6042).

item B. 55. 17: antecessi leti diem.

praecedere obvium fit locis his:

B. 1567: ne doleas mei, quod praecessi;[1]
C. I. L. VI 9792: praecedere voluisti, sanctissima coniunx, ut me relinqueres in lacrimis;
B. 565: pater praecesserat olim —
B. 856: praecessitque prior Primitiva . . . .

---

1) Similiter nos dicimus: „in die Ewigkeit vorangehen".

Claudat agmen locutio

fato concedere,

quod legitur Tacit. ann. II 71: si fato concederem iustus mihi dolor etiam adversus deos esset;

item Plin. Pan. 11: qui electo successore fato concessit.

Hic fortasse obiciat mihi aliquis vocem *fato concedere* huc referendam non esse, utpote cum tropus migrandi desideretur. Quod recte dictum esset, si locutio *fato concedere* cum voce *naturae concedere* conveniret; sed prorsus discrepant. Nam *fato* est ablativus non dativus. Quod ut credam, minus Nipperdei[1]) auctoritate, qui *fato* ablativum esse sibi quoque persuasit, quam comparata locutione *vita concedere* adducor, quae apud eundem Tacitum occurrit neque usquam alibi, si recte vidi; exempla addam haec:

Tac. ann. 1. 3.: Agrippa vita concessit;

Tac. ann. 3. 30: fine anni concessere vita insignes viri;

cfr. etiam ann. 14. 51; 6. 39; 12. 39.

Denique *concedere* pro *mori* usurpari nullo substantivo addito exemplis demonstratur his:

Tac. ann. 13. 30: at Volusius egregia fama concessit;

Tac. ann. 4. 38: cives precor, ut, quandoque concessero, ... cum laude famam nominis mei prosequantur.

Hoc verborum recensu peracto ad substantiva *decessus* sive *discessus* et *excessus* sermo procedit. Ad frequentiam harum vocum quod attinet, *decessus* ita raro occurrit, ut mihi non nisi exempla praesto sint haec:

Cic. de. amicit. 3. 10.: quod eo errore careo, quo amicorum decessu plerique angi solent;

B. 68: funus orn] avit pulchre, decessum [dolens].

Vocabulum *discessus* apposito *e vita* invenitur apud Cic. div. I 47: siquidem ad mortem proficiscens Callanus Indus „o praeclarum discessum inquit e vita".

---

1) in comment. ad. Tacit. ann. 2. 71.

Sed multo frequentior est usus vocis *excessus*, qua et apposito *vitae* sive *e vita* et omisso iterum Cicero primus usus est; inspicias *excessus vitae* Cic. Tusc. I 27; *excessus e vita* Cic. fin. III 60; *excessus* absolute Cicero posuit rep. II 23, ubi legimus: *quantum tenuerat post obitum vel potius excessum Romuli desiderium.* Postea autem imprimisque postquam Tacitus illud *ab excessu divi Augusti* scripsit, usus huius vocabuli magis magisque propagatus est.

Cfr. Suet. Tib. 22; Tib. 70. Calig. 1. Calig. 48.

Reliquum est, ut nonnulla exempla addam, quibus ipsis quoque sicut reliquis migrandi notio subest; itaque iis, quae hoc in capite exposui, lucem quandam affundunt; dico locutiones:

B. 1041: ... infernas tendere ad arces;
B. 640: ... pergit ad occasus;
B. 1447: superas adire domos;
Verg. Aen. X 472: metasque dati pervenit ad aevi;
B. 610: sic Fortuna tibi dederat transcurrere vitam;
Senec. ad. Marc. XI 2: decucurrit ad finem.

Nec alia imago subest contrariae voci *revocare* sive pleniori formae *revocare ad vitam;* nam *abire, exire, decedere* si comparamus, significatio contrariae locutionis *revocare* per se apparebit.

cfr. Ovid. trist. V 9. 19: seminecem Stygia revocasti solus ab unda;
Plin. nat. hist. II 57: namque nec sibi potest (sc. deus) mortem consciscere, si velit, ... aut revocare defunctos;
Senec. ad Marc. XXII 7: iter mortis ingressus sum; revocare me nec debes nec potes;
Suet. Aug. 53: inedia mori destinantem praesens consolando revocavit ad vitam.

Animam efflare.

Iam ad eas voces transeamus, quae ad extremum anhelitum spectant. Hac autem in re, quoniam locutiones ipsae per se intelleguntur nec commentario indigent, id modo

mihi proposui, ut quam varia sint huius tropi exempla in conspéctu ponam. Ac primum quidem locum eae voces obtineant, quae sunt Plautini Terentianique sermonis; in his autem hae sunt:

exanimari: miser examinor Plaut. Cist. 207;

animam efflare: ... hominem, quando animam ecflavit, quid eum quaeras qui fuit? Plaut. Pers. 634:

animam omittere: animam omittunt priusquam loco demigrent Plaut. Amph. 240;

animam relinquere: animam relinquam potius quam illas deseram Ter. Adelp. 498;

cfr. Hom. Il. V. 696: *τὸν δ'ἔλιπε ψυχή.*

Denique etiam locutio *animam agere* addatur; iculariter enim dicit Plaut. Trin. v. 1091: *res* (i. q. Vermögen) *cum animam agebat, tum esse offusum oportuit.*

Quae voces ex Plauto Terentioque allatae per omnia tempora in usu permanserunt, ut taceam de ampliore varietate, quae apud posteriores scriptores observatur.

Exemplo sint:

exanimari: tum ferro extracto confestim exanimatus est Nep. Ep. 9. 4;

animam efflare: Nep. Paus. 5. 4. Cic. pro Mil. 48; et saepius;

animam exhalare: Senec. ep. 101. 14;

animam emittere: Cato, qui quam ferro non emiserat, animam manu extraxit Senec. ep. 70. 19;

animam ponere: cum primis fida canum vis strata viis animam ponebat in omnibus aegre Lucr. VI 1221;

animam amittere: funera respectansque animam amittebat Lucr. VI 1234;

animam deponere: ut prius animam quam odium erga Romanos deposuerat Nep. Hannib. 3. et saepissime in titulis; cfr. B. 1084. 1540. 1539. 1546. 1542;

animam ebullire: et ille quidem animam ebulliit Senec. Apocolocyt. 4. 2. item Petr. c. 42;

animam edere: si tum P. Sestius ... animam edidisset Cic. pro. Sest. 83;

animam agere: turbat agens animam, spumans ut in aequore salso ventorum validis fervescunt viribus undae Lucr. III 493.
noctem totam plerique eorum et diei insequentis partem cum animam exegissent, exspirarunt Liv. 26. 14. 5.
Claudius animam agere coepit nec invenire exitum poterat Sen. Apocol. 2. 4.

Quam ad vocem *animam agere* Otto Keller in libro, qui inscribitur: Zur lat. Sprachgeschichte tom. II p. 162 nescio quibus argumentis nisus adnotat haec: *animam agere* heisst nicht mit dem Tode ringen, wie in guten Handbüchern steht, sondern es ist der Allitteration wegen etwas ungenau gesetzt = *animam efflare* (den letzten Atemzug tun). Sed virum doctissimum falso iudicavisse intelleget siquis exempla supra allata inspexerit.

Iam vero *anima* notionis vice non raro vocabulum *spiritus* quoque fungitur, quod tamen recentioris originis est nec ante Ciceronis aetatem litteris insertum esse videtur; exemplo sint:

spiritum reddere Cic. Phil. X 20. *spiritum effundere* Petr. c. 111.
spiritum emittere Senec. ep. 28. 8. *spiritum elidere* Senec. ep. 70. 20.
spiritum deponere B. 89: *nam quid egregium, quidve cupiendum est magis, quam ube lucem libertatis acceperis, lassum senectae spiritum ibi deponere.*

Denique huc etiam conferendum est verbum *exspirare*[1]) pro *mori* usurpatum, quod legitur

Liv. 23. 7. 3: *ubi . . . foedum in modum exspirarent;*
Senec. ep. 66. 13: *qui in complexu libertatis exspirat*

et saepius velut Liv. 26. 145; Sen. ep. 54. 1. 99. 27; Suet. Tib. 31. 28.

---

1) Contraria vox est *spirare*, quae occurrit Suet. Tib. 21: *sed tamen spirantem Augustus reperit.*

De *extingui* voce pro mori usurpata.

In proferendis *animam efflare* aliisque huius generis vocibus cum incertum fuerit, utrum *anima* idem ac *spiritus* (Atem) an aliud nescio quid significet, nunc de huius vocis vera significatione certiora exponere conabor. Quod ut audeam locutione *animam extinguere* adducor, qua primus usus est Terentius Adelp. v. 312, ubi legimus: *seni animam primum extinguerem ipsi, qui illud scelus produxit.* Ut autem huius locutionis sensum facilius cognoscas, te reputare velim, quae apud Senecam leguntur ep. 54. 5: *nos quoque et extinguimur et accendimur.* Cum lucerna igitur sive cum flamma aut igni vita, id est causa, qua vivimus (Lebensprinzip) comparatur, nec aliud quicquam voci *animam extinguere* subesse verbum ipsum aperte docet. Sed quomodo haec comparatio per singula sit persequenda cogitationi largior; etenim parvi refert; nam hic maxime id agitur, ut quid de notione *anima* statuendum sit eruamus. Hac in re Senecae verba modo exscripta viam, quam necesse est nos persequi, patefaciunt. Quae verba si accuratius perpenderimus, nonne ea, quae Heraclitus, qui fuit unus ex nobilissimis clarissimisque Graecorum philosophis, professus est, meministi: animam esse igneae materiae, quae accendatur in corpore hominis ut natus[1]) sit, eamque extingui in actu moriendi? Sed maxime doleo, quod, quoniam Heracliti *περὶ φύσεως* libri non nisi minutissimae reliquiae sunt servatae, aliorum testificationibus contenti esse cogimur; argumenta vide haec:

Tert. de anima c. 5: *Hippasus et Heraclitus ex igni* (sc. animam effingunt);

---

1) Eadem opinio Platonis orationi subest huic, rep. p. 621 b.: *ἐπειδὴ δὲ κοιμηθῆναι καὶ μέσας νύκτας γενέσθαι, βροντήν τε καὶ σεισμὸν γενέσθαι, καὶ ἐντεῦθεν ἐξαπίνης ἄλλον ἄλλῃ φέρεσθαι ἄνω εἰς τὴν γένεσιν ᾄττοντας ὥσπερ ἀστέρας* (dicit Plato de animis).

Macrob. Somn. Scip. I 14: *Heraclitus physicus* (animam dixit) *scintillam stellaris essentiae.* item Themist. de an. I 24.[1])

Praeterea nonnulla Heracliti fragmenta proferam: frg. 26 (ed. Dielsius):

ἄνθρωπος ἐν εὐφρόνηι φάος ἅπτεται ἑαυτῶι ἀποθανὼν ἀποσβεσθείς; quae verba Zeller l. l. optime vertit sic: „Der Mensch entzündet sich wie ein Licht in der Nacht und erlischt, wenn er stirbt"; addas frg. Byw. 74 (Dielsius 113):

αὔη ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη

(adiectivum *αὔη* [lat. uro] iterum respicit ad igneam animae materiam).

Quodsi quis obloquatur dicens postea tantum iam non valuisse Heracliti philosophiam, provoco ad Stoicos, qui de animae natura idem placitum receperunt; inspicias Diog. Laert. in vita Zenonis 157:

Ζήνων δὲ ὁ Κιτιεὺς καὶ Ἀντίπατρος ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς καὶ Ποσειδώνιος πνεῦμα ἔνθερμον εἶναι τὴν ψυχήν. τούτῳ γὰρ ἡμᾶς εἶναι ἐμπνόους καὶ ὑπὸ τούτου κινεῖσθαι ... Κλεάνθης μὲν οὖν πάσας (sc. *ψυχὰς*) *ἐπιδιαμένειν μέχρι τῆς ἐκπυρώσεως* (lat. exstinctio).

Macrob. Somn. I 14: *Boethus* (sc. phil. Stoicus) *dixit animam ex aere et igne constare.*

Cic. Tusc. I 9. 19: *Zenoni Stoico animus ignis videtur;* ibid. 18. 42: *is autem animus ex inflammata anima constat, ut potissimum videri video Panaetio.*

cfr. etiam Zeller l. l. III.^{3} p. 192.

Quae cum ita sint, Terentianam vocem *animam extinguere* ad Heracliti sive ad Stoicorum doctrinam referre non dubito, sive Terentium, Scipionum amicum, Graecarum litterarum

---

1) cfr. Zeller: Geschichte d. gr. Philosophie III.^{3} p. 193 sqq.

studiis ut ita loqueretur adductum esse sive eum hanc vocem ex graeco exemplari vertisse censes. Sed haec hactenus.

Quae de voce *animam extinguere* exposui optime affirmantur ipso verbo *exstingui* pro mori usurpato; per haec iam ad rem redducimur.

Et primus quidem hac voce usus est Plautus scribens Pseud. v. 906: *tum me et Calidorum servatum volunt esse et lenonem extinctum.* Plautum vero de igne animae, cum ita loqueretur, cogitavisse statuas non oportet, quoniam hanc vocem ex graeco exemplari eum vertisse iterum suspicari licet. Graecos enim *ἀποσβέννυμαι* pro *mori* usurpavisse docet exemplum hoc; legitur enim Eur. Med. 1218:

χρόνῳ δ᾽ἀπέσβη,[1]*) καὶ μεθῆχ᾽ ὁ δύσμορος ψυχήν.*

Sed Ciceronem philosophum huius vocis verum sensum percepisse ex iis elucet, quae legimus in libro de nat. deor. II 23: *refrigerato et extincto calore occidimus ipsi et extinguimur;* nam quin vocabulum *calor* de industria adhibuerit Cicero Heracliti sive Stoicorum doctrinae de animae ignea materia adhaerens dubitari nequit.

His perpensis, quomodo vocis *extingui* usus propagatus sit, paucis illustrabo; invenitur locis his:

Cic. nat II 14: quo anno P. Africanus sol alter extinctus est; ibid. Tusc. I 86; frg. V 97.

Sed utuntur hac locutione alii quoque, velut:

Catull. 64. v. 400: destitit extinctos natus lugere parentes.

---

1) Codices praebent *ἀπέστη;* sed tamen verissimum puto *ἀπέσβη,* quod optime proposuit Scaliger, idque recte admiserunt Brunkius et Elmsleyus; eadem oratione usus est Eurip. Incert. fab. frg. (Nauck 971):

ὁ δ᾽ ἄρτι θάλλων σάρκα διοπετὴς ὅπως
ἀστὴρ ἀπέσβη, πνεῦμ᾽ ἀφιεὶς ἐς αἰθέρα.

Exempla similia congessit Ruhnkenius ad Timaei glossam *ἀπέσβη. τέθνηκεν* p. 40. Recentiores autem editores Kirchhoffius et Weckleinius *ἀπέστη* malunt, nescio utrum solummodo codicum auctoritate an aliis quibusdam argumentis nisi.

cfr. etiam Tac. ann. 1. 3; 2. 72; 3. 49; Suet. Tib. 7; Vesp. 24; et saepius in titulis:

cfr. B. 425: hic iacet Helpidius fatis extinctus iniquis;

B. 971: at tu dulcis soror, extincto me solare parentes.

Huc etiam conferendum esse mihi videtur *extinguere aliquem* pro *necare* dictum; exempla sunt:

Ter. Hec. 749: puerum clam voluit extinguere;

Nep. Attic. 9. 3: liberos etiam extinguere parabant;

C. I. L. V 563: ambos extincxit rudis, utrosque protegit rogus.

Quod vero verba *extinguere* et *extingui* alio quoque sensu adhibita occurrunt, velut

Ter. Phorm. 107: ut, ni vis boni in ipsa inesset forma, haec formam extinguerent;

Ribb. frag. trag. Rom. Acc. Agam. I: . . . inimicitias Pelopidum extinctas . . .

Nep. Themist 1. 3: . . . non posse eam contumeliam extingui, ut de tropi origine sententiam mutem, efficere omnino non possunt.

Denique ut *extingui* pro mori, ita *extinctio* pro mors adhiberi exemplis affirmatur his:

Cic. Tusc. I 117: nam si supremus ille dies non extinctionem sed commutationem adfert loci, quid optabilius?

Cic. Philos. frg. (ed. Mueller) V 97: . . . iucundum nobis perfunctis muneribus humanis occasum neque molestam extinctionem et quasi quietem vitae fore.

His locis facere non possumus, quin *extinctio* ad nihil aliud nisi ad animae naturam respicere censeamus.

De vocibus de siderum occasu petitis.

Quae homines cogitent atque sentiant ex vocibus apparere si verum est, quid concludemus de locutionibus ad mortem spectantibus ex litteris latinis adhuc allatis? Credo, ut mini-

mum hoc: voces partim ex philosophia manavisse, partim, id quod non multum differt, naturae cum observationibus cohaerere. In earum enim vocum numero, quae ut usu reciperentur philosophia incitavit, velim colloces primum *defunctus est* (er hat ausgerungen) id. q. *decessit ad libertatem* (Stoica doctrina), deinde copiam earum vocum, quibus illud *πάντα ῥεῖ* (alles ist nur ein Kommen und Gehen) — huc referendae sunt *ire* et *cedere* voces una cum formis derivatis —, denique *animam extinguere* et *extingui*, de quibus in antecedenti capite disserui.

Ad alteram quidem meae opinionis partem quod attinet, huc tantum referendae sunt *animam sive spiritum efflare* et aliae huiusmodi locutiones. Sed plura et graviora sunt, ad quae nunc disputatio progreditur; dico voces de siderum occasu petitis, ad quas priusquam transeam quam pulchre homines cum sideribus interdum in comparationem sint vocati te attendere velim. Audiamus, quae Lucretius de Epicuro illo doctissimo philosopho dixit, III 1040:

ipse Epicurus obit decurso lumine vitae
qui genus humanum ingenio superavit et omnes
restinxit, stellas exortus ut aetherius sol.

Similiter Cic. nat. deor. II 14 exclamat:

quo anno P. Africanus sol alter extinctus est.

Addam etiam locum ex consolatione ad Liviam petitum, ubi auctorem incertum de Druso mortuo disserentem observamus sic, v. 405 sqq.:

sidera quin etiam caelo fugisse feruntur,
Lucifer et solitas destituisse vias.
Lucifer in toto nulli comparuit orbe,
Et venit stella non praeeunte dies.
Sideris (sc. Drusi) hoc obitum terris instare monebat,
Et mergi Stygia nobile lumen aqua.

Quibus perlectis mirum esse nequit et Augustea aetate et postea imperatores virtute sapientiaque excellentissimos in siderum numerum esse relatos. Hac autem in re quoniam

cum alii tum imprimis A. Kraemer[1]) duobus libellis diligentissime versati sunt, verba facere supersedeo. Iam vero admirandum omnino non est, quod eaedem voces et de siderum occasu et de hominum morte in usu fuerunt vel mutuo altera alterius vice fungitur. Enimvero ecquid pulchrius est comparatione hominis morientis cum sidere occidenti instituta? nam ut sidus occidit, i. e. mergitur sub Oceano, quo clarius nascatur postero die, sic homo mortuus mergitur sub Orco sive inferis ad novam vitam incipiendam.

Disputatione adhuc perducta iam aliquem quaerentem audio, quaenam sint voces principales, de quibus agatur? Quod ut exemplis luculenter illustrem, ultimum numus mihi proposui.

Ac primum quidem dico verbum

occidere,

cuius significationem ad siderum occasum respicere exempla docent haec:

Plaut. Rud. prol. 70: nam Arcturus signum sum omnium acerrumum, vehemens sum exoriens, quom occido vehementior.

Cic. nat. deor. II 103: eodem modo stellae oriuntur et occidunt.

Verg. Georg. I 218: et averso cedens canis occidit astro; et saepius cfr. Senec. nat. quaest. I 20. 4; I 25. 5; I 17. 2.

Multo autem recentioris aetatis est *occidere* pro *mori* dictum. Cicero enim hanc vocem primus usurpavit scribens Tusc. I 109:

cum suis se laudibus vita occidens consolari potest.

Quae elocutio *vita occidens* statim, ut de imagine sideris occidentis cogitemus, nos impellit, nec aliter nos dicere solemus „am Abend des Lebens".

---

1) A. Kraemer: De Manili qui fertur Astronomicis: inest de imperatoribus Romanis in siderum numerum relatis disputatio. Marp. 1890. Idem in programm. Frankof. a. 1904.

Idem scriptor *occidere* absolute adhibuit locis his:

Cic. nat. II 23: refrigerato et extincto calore, occidimus ipsi et extinguimur.

Tusc. I 5: necesse est enim miseros esse eos, qui centum milibus annorum ante occiderunt.

Tusc. I 86: qui (Pompeius), si mortem tum obisset, in amplissimis fortunis occidisset; cfr. etiam Tusc. II 20; I 85.

Utuntur hac voce alii quoque: inspicias

Hor. I Od. 24. 9: multis ille bonis flebilis occidit,
nulli flebilior, quam tibi, Vergili.

Ovid. heroid. VII 113: occidit internas coniunx mactatus ad aras;

Sed frequentior est usus apud posteriores (vid. Tacit. vocabularium) imprimisque in titulis. Ex multitudine exemplorum haec proferre satis sit:

B. 378: blanda pietate colendus occidit.

B. 1151: occidit infelix coepto modo flore iuventae.

B. 1138: optaram in manibus coniugis occidere.

B. 1202: quod pueri occidimus, fata querenda putas?

et saepissime cfr. B. 1216; 1106; 1148; 1551; 82.

Quod animadvertitur in verbo *occidere*, idem cernitur in substantivo

occasus.

a) occasus *de sideribus* dictum:

Cic. nat. 95: cum . . . cernerent . . . eorum (astrorum) omnium ortus et occasus;

Cic. div. II 92: necesse est ortus occasusque siderum non fieri eodem tempore apud omnes.

Verg. georg. I 402: solis et occasum servans de culmine summo; et saepius Cic. nat. II 49. Verg. georg. III 335. Senec. quaest. I 6. 2; I 8. 6.

Contra rarissime invenitur

b) occasus pro *mors* adhibitum:

Cic. Philos. frg. (ed. Mueller) V 97: iucundum nobis perfunctis muneribus humanis occasum . . . quasi quietem vitae fore . . .

item in Pis. 34; Acad. I 8; quae tria exempla apud Ciceronem tantum occurrunt. Praeterea mihi praesto sunt haec:

Corn. Nep. Eum. 13: post huius (sc. Alexandri) occasum;

B. 640: pignore caro tamen vacuum soluta cubile pergit ad occasus;

B. 1559: ortus et occasus, vitaque morsque itidem est.

De obire voce pro mori usurpata.

Verbum *obire* ut supra p. 40 ex disputatione cognatarum vocum secluderem eo adductus sum, quod, ut exemplis demonstrabo, huius verbi significationem mutatam esse observavi; alia enim est significatio verbi *obire* absolute adhibiti, alia cum accusativo coniuncti; locutio *mortem obire* legibus artis grammaticae plane respondet, cum *obire* nude positum tantum absit, ut ad propriam significationem accedat, ut contra notionem novam quae est *occidere* assumat. Praepositio *ob* igitur vi vivida amissa cum stirpe *ire* in unam notionem confusa est. Quae cum ita sint, ut discrimen faciamus inter utramque vocem, divido sic:

a) *obire I* praepositionis vi servata.

b) *obire II* praepositionis vi sublata.

Sub *obire I* redigendae sunt voces *mortem, diem, letum obire,* de quibus supra p. 40 sqq. disputatum est.

Sub *obire II* redigas velim et *obire* absolute adhibitum et eas locutiones, quales sunt *morte, fato, funere obire,* qui ablativi non nisi percepta *obire* verbi significationis mutatione intellegi possunt.

Iam vero quaerentes, quomodo factum sit, ut *obire* a propria significatione decesserit, vix erramus contendentes auxilio vocari posse Lucretium; nam Lucretius primus est, qui *obire* de **occasu siderum adhibuit, quo facillime intellegitur prae-**

positionem *ob* per se vim suam amittere oportuisse. Idem scriptor etiam *obire* absolute pro *mori* primus[1]) usurpavit et quidem ita, ut comparatio cum siderum occasu in propatulo sit; legimus enim III 1040:

ipse Epicurus obit decurso lumine vitae,
qui genus humanum ingenio superavit et omnes
restinxit, stellas exortus ut aetherius sol.

Inde concludere non dubito *obire* pro *mori* dictum ex siderum occidentium comparatione natum esse. Nunc ad verbum ipsum transiturus eo contineor, ut brevem locorum indicem proponam. Et eum quidem ordinem instituam, ut separem

a) *obire* pro occidere dictum:

Lucr. IV 433:
in pelago nautis ex undis ortus in undis
sol fit uti videatur obire et condere lumen.

Cic. Arat. 467: abditur Orion, obit et Lepus abditus umbra.

Cic. re. publ. VI 22: in orientis aut obeuntis solis ultimis partibus.

Stat. Silv. 2. 1. 209: obeunt astra;

Plin. nat hist. 2. 16. 24: an sidera obirent nascerenturve.

b) *obire* pro mori usurpatum:

Lucr. III 1040: ipse Epicurus obit decurso lumine vitae . . .
. . . ut aetherius sol;

Lucr. III 1045: tu vero dubitabis et indignabere obire, mortua cui vitast?

Hor. III Od. 9. 24: tecum vivere amem, tecum obeam libens!

Hor. II Od. 17. 2: nec dis amicum est nec mihi te prius obire; item Hor. II Od. 20. 7. Sat. II 8. 59.

Prop. II 3. 39: digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles; cfr. Liv. 5. 39.

In universum autem animadverti potest *obire* pro *mori* Augustea aetate rarissime inveniri; nam ut ex Cicerone, Cornelio

1) Nam locus Plautinus Epid. 512: *malo cruciatu ut pereas atque obeas cito,* qui fere omnibus in lexicis invenitur, ita non traditus est, et Schoell in editione recentissima *abeas* secundum codices optime restituit.

Nepote, ita ex Vergilio ne unum quidem exemplum conferendum habeo. Forsitan aliquot loci me fugerint, at certe hoc non est dubium, quin pauci sint prae eorum multitudine, qui apud scriptores imprimisque in titulis occurrunt; ex numero exemplorum haec proferre satis sit:

Senec. ep. 93. 4: at ille obiit viridis;

Tacit. ann. 4. 44: obiere eo anno viri nobiles;

et saepissime in titulis; cfr. B. 769, B. 1128, B. 817.

Optime autem, ut iam monui, vocis *obire* significationis immutatio confirmatur ablativis quibusdam, qui interdum adduntur, quorum praecipui sunt

morte, fato, funere.

Exemplo sint:

morte obire: voluntaria morte obiit: Suet. Galb. 3. 26.

fato obire: in Sardiniam pellitur, ubi fato obiit; Tacit. ann. 14. 62; ibid. ann. 6. 10.

funere obire: funere non aequo puer immaturus obivi B. 1170.

Quibus expositis iam erravisse Lachmannum contendo, qui vir doctissimus in Lucr. IV versu 440: *quae demersa* (sc. guberna) *liquore obeunt* pro *liquore* (quod exstat in codicibus) *liquorem* scribendum censuit. Lachmannus in adnotatione ad hunc versum contendit sic: *non poterit dici quid obeant, nisi liquorem, ergo ita scribendum est.*

Lachmannum igitur omnesque recentiores editores *liquorem* admittentes *obire* vi praepositionis amissa in notionem *occidere* abiisse omnino effugit. Contra optime me iudice Grecchius Forbigerusque *liquore* admiserunt; inspicias etiam exemplum Lucr. IV 433, ubi *obire in aliqua re* legimus:

in pelago nautis ex undis ortus, in undis sol fit uti videatur obire.

Ergo nunc non iam requiritur obiectum ad verbum *obire,* sed potius id *quo* (abl. instrum.) vel *qua in re* aliquis obeat.

His absolutis quid statuendum sit videamus de substantivo

obitus.

Substantivi *obitus* iterum significationis duo genera sunt separanda; rem itaque sic disponam, ut disputem

a) de *obitus* substantivo ex stirpe *obire I* derivato,

b) de *obitus* substantivo ex stirpe *obire II* nato.

Ac primum quidem nobis scriptores, qui ante Augusti aetatem floruerunt, perlustrantibus non nisi *obitus* ex radice *I* (= aditus) occurrere exemplis affirmatur his:

Ter. Hecyr. 859: ut voluptati (sc. est) obitus sermo adfatus tuus, quocumque advenies.

Ribb. frg. com. Sext. Turp. (Epiclerus X):
set quis est qui interrumpit sermonem meum obitu suo?

Ribb. frg. trag. Acc. (Antigona III):
attat, nisi me fallit in obitu sonitus;

quae exempla quamvis exigua — ac pluribus plane destituor — ad usum substantivi *obitus I* illustrandum sufficiant.

Sequitur *obitus II*, quam vocem duplici significatione iterum primum adhibuisse Lucretium exempla docent haec:

a) obitus = *occasus siderum:*

Lucr. V 707: atque oriens (sc. luna) obitus eius (sc. solis) super edita vidit.

Lucr. IV 392: quandoquidem longos obitus exorta (sc. sidera) revisunt.

Utuntur hac voce alii quoque velut Cicero, cuius in scriptis loci septem inveniuntur (vid. lexica Cic. a. Merguet edit.);
addas Verg. Geog. I 287: nec frustra signorum obitus speculamur et ortus.

Sed magis ad nos pertinent ea exempla, quibus

b) obitus pro *mors* usurpatur.

Primum locum obtineant Lucretiana:

Lucr. III 952: atque obitum lamentetur miser;

Lucr. III 847 sqq.:

nec, si materiem nostram collegerit aetas
post obitum rursumque redegerit ut sita nunc est,
atque iterum nobis fuerint data lumina vitae.

Redit haec vox apud Ciceronem tribus locis, ex quibus afferam hunc, Cic. de rep. I 64:

pectora diu tenet desiderium, sicut ait Ennius, post optimi regis obitum.

Ne credas etiam verba *post optimi regis obitum* ad Ennium referenda esse, conferas Enni fragmentorum editionem ab Vahleno curatam, qui vir doctissimus p. 19 haec verba Ciceronis[1]) non esse optime contendit monens eandem orationem redire de rep. II 30. 32. Dubitari igitur vix potest, quin Ciceronis aetate demum *obitus* in notionem *mors* abierit, nec, ut fortasse credideris, a Cicerone primo hac significatione adhibitum esse verisimile est, sed potius a Lucretio, quod mihi quidem manifestum esse persuasi, quoniam Lucretius ipse *obire* pro *mori* primus posuit, cum hic usus a Cicerone ignoretur. Denique adnotare expedit etiam Cornel. Nepotem *obitus* pro *mors* adhiberi locis his: Timoth. 4. 4; Hannib. 3. 1.

Scriptores autem, quos modo protuli, pauca tantum exempla cum praebeant, apud posteriores hic usus magis magisque propagatus est (v. Tacit. vocabularium) atque in titulis tanta frequentia, ut ex iis solis sescenta afferre possim: cfr. B. 1142, 856, 512, 1319, 172, 1202, 1036, 572, 375.

Denique, ut de *obire II* disputandi finem ponamus, huc etiam trahendum est participium *obitus* pro *mortuus* dictum, quod, quantum ego vidi, nusquam nisi in titulis obvium fit; exemplo sint:

B. 1494: nudus natura fueras a matre creatus, nudus eris: obitis gratia nulla datur.

---

1) Ciceronis enim recentissimum editorem (Muellerum dico) haec verba ad Ennium referenda putare ex typis elucet.

B. 1101: legisti: miseratus abis . felix tibi vita sit, precor, atque obito sit tibi terra levis.

B. 1031: si qua manent obitis . . . . . praemia;
et saepius; cfr. B. 553, 1587, 475.

Porro non alienas ab huius commentationis consilio putavi voces

occumbere et mergi

quae, quoniam et de siderum occasu et de morte hominum adhiberi solent, iterum documento sunt, quantopere hanc comparationem adamaverint antiqui. Atque ut a voce *occumbere* proficiscar, hoc quoque in verbo significationis duo genera cernuntur:

a) *occumbere I* cum accusativo sive dativo iunctum,

b) *occumbere II* aut cum ablativo iunctum aut absolute positum.

Vetustior et legibus artis grammaticae respondens locutio *mortem* sive *morti occumbere* locis occurrit his:

Enn. frg. sc. (Vahlen) 136: ut nos nostri liberi defendant, pro nostra vita morti occumbant obviam.

Enn. Ann. 398 (Vahlen): occumbunt multi letum.

Cic. Tusc. I 102: . . . qui pro patria mortem non dubitaret occumbere.

Sed aurea iam latinitatis aetate mutatio significationis quaedam perspicitur, nec alia ratione atque qua *obire* vel *occidere* adhibetur. Quod confirmatur ablativo *morte,* quocum *occumbere* Livium iungentem observamus; Liv. I 7: *Cacus ictus clava morte occubuit.* Inde mirum non esse potest, quod auctorem Cons. ad Liv. *occumbere* absolute pro *mori* ponentem videmus:

Cons. ad Liv. v. 285: quam parvo numeros implevit principis aevo, in patriam meritis occubuitque senex;

eadem oratione utitur

Verg. Aen. X 865: . . . aut occumbes pariter.

Saepissime invenitur in titulis:

cfr. B. 1447: exuit occumbens oneroso corpore vitam;

B. 1376: terdenis lustris proximus occubuit;

B. 1212: qui semel occubuit, nulla querella iuvat.

Quae exempla a me allata siquis perlegerit statim intelleget, quam similis sit *occumbere* verbi usus ei, qui in vocabulo *obire* cernitur. Enimvero vix errabimus contendentes *obire* verbum causam fuisse, cur *occumbere* ad eundem exitum venerit. Id enim eo probabilius videtur, quod *occumbere* ipsum non quidem Augustea aetate, sed tamen non multo postea de siderum occasu adhibitum occurrit; legimus enim apud Iust. 37. 2. 3: *et cum oriretur occumberetque* (sc. stella) *quattuor spatium horarum consumebat.*

Restat ut vocabuli *mergi* usum illustrandi causa nonnulla exempla addam; *mergi* proprie dicitur de siderum occasu; exemplo sint:

Catull. 66. 68: qui vix sero alto mergitur Oceano (sc. Bootes).

Senec. quaest. nat. I 25. 5: utrum mergeretur Iuppiter (sc. sidus) an occideret ... ante paucos annos didicimus.

Similiter legimus aliquoties in titulis illud *acerbo funere mersit,* quod non sine probabilitate ad imaginem occidentis sideris referendum est; inspicias

B. 813: quem non virtutis egentem abstulit atra dies et funere mersit acerbo;

desumpta est clausula *acerbo funere mersit* ex Vergil. Aen. VI 429.

Addas etiam B. 428: maior in aeternam mersit sua lumina noctem;


ibid. 473: praecipitem memet superi mersere sub aulas.

Adducta ad exitum quaestio est. Quidcumque vocum pro *mori* adhibitarum exstat quam potui accuratissime composui. Iis quae per varia scripta dissipata sunt collatis variisque locutionum sententiis explicatis atque in certum ordinem contextumque redactis hanc collectionem non inutilem esse spero; utiliorem sane reddidissem si etiam ad ecclesiasticorum scriptorum usum observandum procedere potuissem; quod tamen propositum angustiores huius opusculi fines excedebat.

. a. LXXXI
in … Stammheim,
pat … s adhuc in
viv … icae. Rudi-
me … er duodecim
an … ceptus sum,
cui … ta per octo
an … ctus vere a.
M … am migravi,
qu … et Usenero
an … rum alterum
nu … s diligentius
in … Philippinam
A …

illustrissimi:
B … chcke, Nissen,
R … ohen, Haller,
K … ybel, Varren-
t … gum reciperer
e … rius Theodori
E … Exercitationi-
b … iserunt Niese,
V …

refero gratias,
i … grato pioque
s … itabat, summa
l … abat. Examen
… MV.


GENERAL LIBRARY - U.C. BERKELEY
B000868850